



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Evsebii Cognomento Pamphili Episcopi Caesareae Palestinae,  
Ecclesiasticae historiae Liber Septimus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII CO-  
GNOMENTO PAMPHILI  
EPISCOPI CAESAREAE PA-  
lestinae, Ecclesiasticae historiae  
Liber Septimus.

*De improbitate Decii & Gallii*

CAPVT. I.



Agni illius & illustris Alexádríe epí-  
scopi Dionysii epistolæ, ad posteri-  
taté, scriptis mandatæ ( in quibus res  
quasq; suo tempore gestas singula-  
tim commemorat ) nobis ad húc sep-  
timum ecclesiasticæ historiæ librum  
conficiendum ( eas enim ad verbum  
citabimus ) erunt permagno plane  
adiumento. Inde igitur exordium nostra capiat oratio.  
Simulatq; Decius, qui non duos annos integros regna-  
uerat, pariter cum liberis esset interemptus, in imperium  
succedit Gallus. Origenes eodem tēpore, cum ad sexa-  
ginta nouē annos vitam propagasset, ex hac luce migra-  
uit. De Gallo autem Dionysius ad Hermammonem scri-  
bens, ista commemorat. Quin Gallus neque Decii reco-  
gitauit calamitatem, neque antea secum, quid tandem il-  
lum de gradu deiecisset, satis diligenter consyderauit,  
sed in eundem lapidē, licet perspicue ante illius oculos  
positum, cum suo magno malo impedit. Qui, cum re-  
gnum eius prospero fortunæ flatu ferretur, & res omnes  
ad voluntatem fluerent, Sanctos ac pios viros, qui pro  
pace eius imperii, proq; vitæ incolumitate enixe Deum  
præcabantur, crudeliter exegit: & propterea vnà cum il-  
lis, præces pro ipso ad Deum suas penitus à se auertit.  
De Gallo hætenus Dionysius,

*Quinanz*

## EVSEBII HISTORIAE

*Quinam illorum aetate episcopi Romani fuerint.*

CAP. II.

**C**ornelio Romanæ ciuitatis episcopatu circiter triennium perfuncto, Lucius succedit; Iste vix octo continuis mensibus illud ministerium obiit, morte extinctus, Stephano cleri tradit rectione. Ad hunc Stephanum, Dionysius primam ex illis epistolis de baptis- mate compositis, scripsit, propterea quod erat id tempo- ris non exigua quæstio & controuersia concitata, vtrum oporteret eos, qui se à quocunque hæresis genere reuo- cassent, lauacro baptismatis repurgare, cum ex consue- tudine ab antiquis ducta temporibus, in eiusmodi homi- nibus in ecclesiam recipiendis, solæ preces cum manuum impositione adhiberi solerent.

*Quonam pacto Cyprianus, eos qui ab hæretico errore respue- rint, lauacro expurgendos, primus statuerat.*

CAP. III.

**C**yprianus Carthaginensis ecclesiæ pastor, primus inter homines eius ætatis, non aliter, quàm per laua- crum baptismatis hæreticos erroris maculis ante ablutos in ecclesiam admittendos existimauit. verum Stephanus nihil noui, aut alieni à traditione ex aposto- lorum temporibus deriuata moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus fuit.

*Quod de eodem argumento Dionysius epistolas conscripserit, & de pace, quæ post persecutionem subsequuta est.*

CAP. IIIII.

**D**ionysius igitur vbi longum sermonem cum Step- hano per literas de hac controuersia contulerit, tan- dem declarat, quo pacto, persecutionis fluctibus se- datis, omnes vbique ecclesiæ, noua ac peruersa Nouati hæresis prauitate repudiata, pacem inter se conciliaissent. Sic enim scribit. Iam scito frater, omnes orientales ec- clesias, quæ antea fuerunt propter errorum peruersita- tem nonnulla dissensione distracta, ad concordiam de- nuo esse reductas: Omnes etiam ecclesiarum præfides, qui vbique locorum sunt, summo animorum consensu con- spirare:

,spirare:& ob pacem hanc præter omnium expectationem  
 ,cõstitutam incredibili lætitia affici: Demetrianum dico  
 ,Antiochię episcopum, Theoctistum Cęsarę, Mazaba-  
 ,nem Aelię, Marinum Tyri, mortuo Alexandro, episco-  
 ,pum, Heliodorũ Laodiceę, defuncto Thelymidro, epi-  
 ,scopum, Helenum Tarsi, & cunctas Cilicę ecclesias, Fir-  
 ,milianum etiam, & totam Cappadociam. Illustriores sei-  
 ,lum episcopos nominatim perstrinxi, ne vel literę vide-  
 ,antur aliquanto prolixiores, vel nominum enumeratio  
 ,lectori satietatem & molestiam asserat. Syria porro vni-  
 ,uersa & Arabia quibus vestra doctrina & consilio, sem-  
 ,per magno adiumento fuistis, & quibus etiã modo scri-  
 ,psistis epistolas, Mesopotamia quoque Pontus atq; Bi-  
 ,thynia, & ne longum faciam, omnes vbique gaudio ex-  
 ,ultant, & vno animorum cõsensu ac fraterna Charitate,  
 Deo gloriam impertiunt. Ista Dionysius scribit ad hũc  
 modum: Stephani, cum biennii spatio episcopatus mini-  
 sterium obiisset, Xystus capessit locum. Ad hunc Dio-  
 nysius secundam de Baptismate conscribens epistolam,  
 tum Stephani, tum reliquorũ simul episcoporum senten-  
 tiam ac iudicium explanat, deq; Stephano sic loquitur.  
 Stephanus antea scripserat epistolam de Heleno, de Fir-  
 miliano, de omnibus episcopis qui erant ex Cilicia, &  
 Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gētibus, quę erāt  
 finitimæ, quod neque cum illis quidem ob eam causam  
 omnino communicare vellet: nam illi, inquit, hæreticos  
 rebaptizant. Rei igitur magnitudinem attendita cogita-  
 tione complectere: Decreta enim in maximis episcopo-  
 rum conciliis, sicuti audio, facta fuerunt, vti qui ab hæ-  
 resis impietate recedant, debeant primum in fide insti-  
 tui, deinde veteris & impuri fermenti eluic ac sordibus  
 abluui, purgariq; . Atque vt pro his omnibus episcopis  
 illum deprecarer, epistolam scripsi. Paulo post subnectit.  
 Dilectis nobis & compresbyteris Dionysio, & Philemo-  
 ni, qui antea Stephani suffragabantur sententię, qui quæ  
 ad me de eisdem rebus scripserunt, sicut ante per literas  
 breuiter, ita iam pluribus verbis sententiam meam ex-  
 plicauit, verum de quęstione supra demonstrata, de qua in  
 vtramq; partē disceptabatur, hæc hactenus exposuimus.

Dehe-

EUSEBII HISTORIAE

*De hæresi Sabellii.*

CAP. V.

**D**Einceps in eadem epistola Dionysius de hæreticis, qui Sabellium ducem habuerunt, eiusque temporibus prodierunt in lucem, mentionem facit hoc pacto. Quoniam de erroris dogmate, Ptolemaidis Pentapolis iam suborto, quod plane impium est, quod detestabilem de Deo omnipotente patre domini nostri Iesu Christi blasphemiam continet, quod multum falsæ doctrinæ de unigenito filio eius, primogenito omnis creaturæ, verbo incarnato, complectitur, quod cæcæ de spiritu sancto ignorantia comprehendit, ex utrisque partibus cum literæ me certiorē facturæ, tum fratres, mecum de eâ re cōmunicaturi, ad me veniebant, quasdam epistolas, ut poteram, diuina largiente gratia, quò accuratius obscuras erroris latebras aperirem, conscripsi: quarum exemplaria descripta ad te misi.

*De euoluendis hæreticorum libris, & de visione Dionysii diuina de eadem re, deque canone quem accepit Ecclesiastico.*

CAP. VI.

**I**dem Dionysius in tertia epistola de baptisate, quæ scribit ad Philemonem præbyterum Romanum, ista tradit. Equidem tametsi hæreticorum libros, & traditiones, perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimorum opinionibus quodammodo inquinare videbar, hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modo eos interiore animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem, sed multo vehementius in posterum detestarer. Ac cum quidam ex numero præbyterorum me vetaret deterreretque; a legendo, ne turpi prauitatis & peruersæ eorum doctrinæ cœno cōtaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui asseruit) cumque vera, meo quidem iudicio, diceret, visio quædam cælitus ad me demissa, me confirmauit. & vox ad aures allapsa, manifesto præcepit ad hunc modum: Omnes libros, quos sumis in manus, euolue sedulo. Nam satis habes virium & firmitatis ad quæque; tum conuincenda, tum exploranda: Atque hæc causa erat, cur in initio ad fidem Christi vocatus fueris. visionem utpote rite consentientem voci apostolicæ, sic ad potentiores dicenti (Sitis diligenti-

diligentes animaduersores, & veluti trapezitarum, qui argē-  
 tum probant) lubens, equidem approbavi. Deinde pau-  
 cis quibusdam de omnibus errorum generibus explicatis,  
 adiungit ista. Istum canonem, istudque exemplum à beato  
 Papa nostro Heracla cepi. Ille enim eos, qui ab ecclesia  
 abscississent (imo vero non ita abscississent, quin ob cor-  
 poris presentiam congregationis fidelium viderentur  
 esse participes) eos, inquam, cum essent accusati, quod con-  
 suetudine cuiusdam eorum, qui alienam & diuersam à fide  
 doctrinam tuebantur, multum usi fuissent, ecclesia eie-  
 cit: & quamuis verè & ex animo ab erroribus se auerte-  
 rent, & in ecclesiam admitti denuò magnopere flagita-  
 rent, non usque eo admisit, quoad omnia, quæ à verita-  
 tis aduersariis audiuisent, palam apud omnes essent elo-  
 cuti. Atque tum in ecclesiam & conuentum recepit, non  
 aliud baptismum in illis omnino desiderans: quippe antea  
 fuerant ab illo spiritum sanctum affecti. Rursus, ista  
 quæstione copiose admodum exagitata, addit hæc. hoc  
 tamen didici, quod non episcopi in Affrica solùm istam  
 consuetudinem de hæreticis rebaptizandis iam inuexo-  
 runt, verum etiam longo tempore antè, episcoporum me-  
 moria, qui antegressi sunt, in ecclesiis maxima hominum  
 frequentia celebratis, & synodis fratrum tum Iconii, tum Sy-  
 nadis, tum aliis multis in locis conuocatis, istud decretum  
 fuit: quorum iudicia & sententias condènare irritaque  
 facere non audeo, sicque illos in odiùm & inuidiam cõicere.  
 Terminos vt est apud Salomonem ac fines proximi tui  
 non commutabis, quos patres tui præstituerunt.

PROV. 22.

*De heresi Nouati.*

*CAP. VII.*

Quarta eius epistola de baptismo ad Dionysium Ro-  
 mæ tum quidam presbyterii munere donatum, non mul-  
 to post tamen, episcopum illius ecclesie factum, per-  
 scripta est. Ex qua quam præclarum testimonium ille  
 ipse Dionysius Romanus propter incredibilem dicendi  
 vim, & virtutem admirabilem, à Dionysio Alexandrino  
 consecutus fuerit, satis constare poterit. Post alia  
 quædam

quædam

EUSEBII HISTORIAE

quædam de Nouato exposita, ad hunc his ferè verbis describit. Contra Nouatum certè, qui ecclesiam tam misere disciderit, qui fratres quosdam ad impietatem & blasphemiam attraxerit, qui scelestissimam de Deo patre doctrinam inuexerit, qui benignissimum dominum nostrum Iesum Christum, tanquam inclementem & crudellem falso calumniatus fuerit, qui præter hæc omnia sanctum baptismatis lauacrum abrogauerit, qui fidem ac confessionem, quæ baptismum præcedunt, condemnauerit, qui denique ab illis, qui aliquo vitiorum genere se infecerant, spiritum sanctum (quamuis spes esset reliqua illius aut in eorum mentibus permanendi, aut ad eos de nouo redeundi) omnino depulerit fugaueritque, non sine causa graue odium concepimus.

*De impio hæreticorum Baptismate.*  
CAP. VIII.

**Q**Vinta item illius de baptismo epistola ad Xystum episcopum Romanum scripta est: in qua cum multa dixerit contra hæreticos, tale quoddam facinus suo tempore gestum exponit. Reuera frater, quoniam eiusmodi quædam causa ad me delata est, in qua, veritus ne per errorem labar, consilium quero, tuamque vehementer exposco sententiam: frater quidam ex nostro conuentu communionisque fidelis iudicatus, ætate admodum prouectus, & priusquam ego eram creatus episcopus, & ut arbitror, antequam beatus Heraclas in episcopatus gradu collocatus fuerat, conuentus communionisque particeps factus, cum forte baptismo eorum qui nuper apud nos baptizarentur, & rogata responsaque audiret, venit ad me lugens, & grauer suam vicem deplorans, se ad pedes meos abiicit, ex animo confitetur, & sancte deiecit, baptismum, quo erat apud hæreticos tinctus, non huius generis esse, (illud namque plenum esse impietatis, plenumque blasphemiarum) neque ullam omnino cum isto nostro habere similitudinem: affirmatque animum suum propterea acerbis dolorum stimulis compunctum, & quoniam nefario ac profano, cum verborum, tum factorum

factorum scelere pollutus erat, ne libere suos oculos ad Deum posse eleuare, & propterea obtestatus est, vt hac purissima lauacri purgatione, vera susceptione in ecclesiam, & diuina in eo sacramento oblata gratia potiretur: quod plane ego non audebam præstare, sed diuturnam illam communionem, qua fuerat cum fidelibus sociatus, satis habere virium ad eius animum purgandum affirmabam. Nam qui gratiarum actiones audiisset, qui, Amen, vnâ pronunciauisset, qui assitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum capellendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps, eius baptisma non audebam de integro renouare: sed bono animo esse iubebam, & solida ac constanti fide, conscientiaq; pura sinceraq; ad sanctorum mysteriorum perceptionem accedere. Ille tamen lamentis & mœnore se conficere nõ destitit, ad mentem accedere præ metu exhorruit, & vix oratus, precibus interesse sustinuit. Extat præterea alia huius de baptisate epistola, ipsius ecclesiaeq; persona, cui præfuit, Xysto & ecclesiae Romanæ dicata: In qua multis argumentis, & prolixo sermone de questione proposita disputat. Alia porro eius epistola est, post hæc conscripta ad Dionysium Romanum, quæ de Luciano inscribitur, sed de his satis.

## De Valeriano. CAP. IX.

Postquam Gallus qui vix biennio integro imperium prexerat, è medio erat sublatuS, Valerianus vnâ cum filio Galieno imperij gubernacula suscepit. Quæ vero Dionysius de isto etiam commemorat, ex epistola, quam scripsit ad Hermamonem, licet cognoscere. In qua sic narrat. Ioanni simili ratione per reuelationem de Valeriano significatum est. Ait enim: Datu est ei os, magna & blasphemiam loquens, & data est ei potestas faciendi per menses quadraginta duos. Cum ista vtraque in Valeriano videre cõplera, tum eius vitæ rationem, antequam ita animo affectus erat, vt à Ioannis reuelatione didicimus, considerare, non parum sane habet admirationis. Nam quamdiu mansueto animo & benigno erga sanctos

Apo. 136

T Dei



EVSEBII HISTORIAE

Dei homines affectus erat, nemo imperatorum qui eum, anteuerant, tantam benevolentiam & comitatem aduersus illos declarauit. imò verò ne illi quidē, qui Christiani erant, eoq; nomine palam appellati, ita hos sunt amplectati ut ille, qui quidem in initio imperij sui quam familiarissime & amicissime, idq; in oculis omnium, eosdem excepit: Et tota domus eius piis hominibus complebatur, eratq; plane Dei ecclesia. Verum doctor quidam & princeps Magorum Aegypti, illum tandem perditio consilio deprauauit, & non impulit solum, ut homines culpa vacuos ac sanctos Dei, utpote scelestorum ac execrabilium incantamentorum aduersarios & oppugnatores (satis namq; virium ac potentiae praesentia, aspectu, spiritu, & voce solum ad detestabilem daemonum insidias, dissipandas, & habent, & semper habuerunt) acerbe persequeretur, neciq; traderet: verum etiam ut impuras caeremonias obiret, profanas exerceret praestigias, execranda mysteria exequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infelicium parentum exsacrificaret, tenera infantium dissecaret viscera, Dei denique creaturas discinderet discerperetq; vehementer cohortatus est: perinde ac si eo pacto omnes res prospere & feliciter succederent. Qui bus deinde adnectit ista. Macrinus igitur ipsis imperatoribus Valeriano, & Galieno ob speratum imperium, praecleara scilicet munera donauit. Qui cum ante communis & generalis imperatoris Valeriani questor dictus esset, neque quia recta ratio, neque quid communis reip. usus postularer, vlla ex parte considerauit, sed propheticæ imprecationi ita loquēti: Væ illis qui ex corde ipsorum prophetant, communem tamen omnium non respiciunt vtilitatem, se obnoxium reddidit: Nam neque communem ac generalem Dei prouidentiam intellexit: neq; iudicium illius, qui est ante omnia, per omnia, & in omnibus, omnino perspexit. Quapropter se communis & catholicae illius ecclesiae hostem praebuit. Se à Dei abalienauit misericordia, & quasi penitus relegauit: Se à sua ipsius salute quam longissime remouit. Atque in hoc vere suo respondit nomini. Deinceps adiungit. Valerianus autem Macrini prodicione in hanc miseriam delapsus,

1 pſus, contumeliis & probris hoſtium Barbarorum ob-  
 2 1ectus fuit, ſecundum Eſaiæ vocem: Hi vias ſibi delege- *Eſai. 66.*  
 3 runt, & abominationes ipsis, quas eorum anima volebat,  
 4 & ego ludibria eorum deligam, & peccata retribuam il-  
 5 lis. Iſte dum gerebat imperium, præter eius dignitatem  
 6 furore in Chriſtianos exagitabatur: poſt eum regium il-  
 7 lud decus vieto & debilitato corpore ſuſtinere non poſ-  
 8 ſet, duos filios, quos paterna ſcelera inſignite infecerat,  
 9 imperij gubernaculis præfecit. Ac prædictio illa, quam *Exo. 20.*  
 10 Deus olim ediderat, (ego ſum qui vlcifcor peccata pa-  
 11 trum in liberos, vſque in tertiam & quartam generatio-  
 12 nem his, qui oderunt me) in iſtis perſpicue declarata fuit.  
 13 Nam nefarias cupiditates, quarum explendarum ſpe ipſe  
 14 excidiſſet, in filiorum capita coniecit, & cum improbam  
 15 eius nequitiam, tum odium erga Deum in illorum ani-  
 16 mos effudit. De Valeriano quidem totidem à Dionyſio  
 17 accepimus.

*De perſequentione ſub Valeriano, & rebus quæ  
 Dionyſio & Aegyptijs acciderunt.*

CAP. X.

DE perſequentione autem, quæ vehementiſſimè, regnan-  
 te Valeriano, exardeſcebat, quas & afflictationes  
 & incommoda idem Dionyſius cum aliis propter  
 verum cultum Dei, vniuerſarum rerum opificis, ſubiue-  
 rit, verba eius, quibus in Germanum ſuæ ætatis episco-  
 pum, qui illius famam maledictis lædere tentaffet, inue-  
 hitur, ſatis perſpicue declarant: quæ ita ſe habent, Vide-  
 bor equidem nonnullis fortaffe, dum admirabilem Dei  
 1 providentiam erga nos oſtêtatam cogor neceſſario ex-  
 2 plicare, in magnam amentiam iuſtitiamq; eſſe prolapſus.  
 3 Verum quoniam ſecretum regis occultare eſt (vt inquit *Tob. 12.*  
 4 ſcriptura) præclarum: & Dei opera prædicare cum pri-  
 5 mis eximium, ego cum Germano manus cõſerere aggre-  
 6 diar. Veni ad Aemilianum, non quidem ſolus, ſed me  
 7 comitati ſunt, conpreſbyter metus, Maximus, & diaconi,  
 8 Fauſtus, Eufebius, & Chæremõn. Et quidam è fratribus  
 9 qui Roma ad nos venerant, nobiſcum vna profectus  
 10 eſt. Aemilianus autem, non dixit mihi, conceptis ver-  
 11 bis: ne conuentus agito. Hoc enim illi fuiſſet fere  
 12

EVSEBII HISTORIAE

superuacaneum, & in eo, quod ille moliebatur, postre-  
 mas sane tulisset. praesertim cum ad id, quod caput est,  
 nostrae religionis, omnem suam curam & cogitationem,  
 conuertisset. Nam non de hoc, nimirum ne conuentus,  
 agerem, ab eo sermo erat institutus, sed de eo, ne meip-  
 sum deinceps Christianum esse profiterer: atque ab hoc,  
 quidem me desistere, mandauit: ratus id quidem, si ego,  
 fidem commutarem, alios eandem mecum sententiam se-  
 cuturos. Non absurde equidem, neq; circuitione vlla v-  
 sus, respōdi, Deo obtemperandū magis quā hominibus:  
 quin palam etiam cōtestatus sum, me illū, qui solus Deus  
 est, & nullum alium, venerari. Neq; sententiam velle mu-  
 rare, neq; aliquando desistere esse Christianū. Deinceps,  
 iussit, vt in pagum nomine Cephro, prope locum quen-  
 dam desertum, si tum, rectā abscederemus. verum verba,  
 quae ab vtrisque vltro citroque habita sunt, vti fuerunt  
 à quibusdam in commentarios relata, accipitote. Diony-  
 sio, & Fausto, & Maximo, & Marcello, & Chæremoni in  
 cōciliū introductis, Aemilianus qui praefecturā gerebat,  
 sic locutus est. Vobiscum iam coram absque scripto lu-  
 bet differere, de imperatorum dominorum nostrorum,  
 humanitate, atque Clementia, quam erga vos declarant.  
 Nam salutis vestrae, ac vitæ potestatem vobis fecerunt,  
 modo ad id, quod est secundum naturam, velitis vos-  
 ipsos conuertere, & deos qui illorum regnum seruant  
 incolome, sancte adorare: eorum autem penitus obli-  
 uisci deorum, qui naturā repugnare videantur.  
 Quid igitur ad ista respondetis? neq; enim vos ingra-  
 tos fore arbitror, cum tanta benignitas ab illis, sit vobis  
 ostentata: quandoquidem ad res meliores vos amice &  
 beneuole cohortantur. Dionysius respondit. Non om-  
 nes colunt omnes deos, sed singuli singulos pro arbi-  
 tratu. Nos proinde vnum Deum omnium rerum fabrica-  
 torem, qui Valeriano, & Galieno Cæsaribus, Augustis,  
 viris sanctissimis imperiū largitus est, & colimus, & vene-  
 ramur. Huic etiam sine intermissione pro eorum regno,  
 vt stabile & firmū maneat, preces adhibemus. Tū præfe-  
 ctus Aemilianus: Quis vos, inquit, prohibet, quō minus  
 hunc, si Deus sit, cum aliis diis, qui sunt secundū naturā,  
 cultu

48.5.

, cultu & reuerentiæ obseruetis? vobis enim præceptū est  
 , vt deos adoretis, quos omnes norunt. Ad quæ Dionysi-  
 , us, nos, inquit, nullum præter vnum deum honore &  
 , obseruantia prosequimur. Aemilianus præfectus iterum,  
 , video inquit, vos non modo ingratos esse, sed singula-  
 , ris Augustorum mansuetudinis prope immemores. Qua  
 , propter in hac ciuitate non liberum erit vobis verla-  
 , ri, sed eritis in partes Libyæ relegati, in locum videli-  
 , cet, qui Cephro nuncupatur. Quem ex Augustorum no-  
 , strorum iussu vobis assignavi. Neque vsquam omnino  
 , vel vobis, vel aliis quibusque potestas erit, aut celebra-  
 , di conuentus, aut in ea, quæ Cæmeteria appellantur, in-  
 , grediendi. Quod si quis vestrum in eum locum, ad quem  
 , vos ire præceperim, minime proficiscatur, aut in aliquo  
 , reperiatur conuentu, suo ipsius capiti creabit pericu-  
 , lum. Non deerit namque accurata ad vos obseruandos  
 , industria. Abite igitur, quò iussi estis. Sic Aemilia-  
 , nus me etiam morbo laborantem abire compulit, & ne  
 , ad vnum quidem diem, meam profectioem differre vo-  
 , luit. Quodnam ergo mihi superat otium, vel ad con-  
 , uentus agendos, vel secus? Deinde addit. Attamen nos  
 , (iuuante deo) non à conuentu palam inter nos celebra-  
 , do abstinuimus: quin ipse equidem quosdam in ciuitate  
 , fratres, perinde ac si simul cum illis versatus fuisset, ad  
 , conuentus perstudiose agendos impulit. Et quamuis ab  
 , illis corpore abessem, vt inquit Apostolus, spiritu ta-  
 , men semper aderam. Ad Cephro autem non exiguus ca-  
 , tus nobiscum vna migravit, tum fratrum qui ab vrbe  
 , nos sequebantur, tum aliorum, qui ex reliqua Aegypto  
 , conuenerant. Atque ibi deus quasi ianuam ad verbum  
 , suum prædicandum nobis patefecit. Ac primum quan-  
 , quam persecutione eramus diuexati, & lapidibus obru-  
 , ti postea tamen non parua gentium multitudo, idolis re-  
 , lictis, ad deum colendum se conuertebat. Nam tunc pri-  
 , mum verbum dei, quod nunquam antea accepissent,  
 , per nos inter eos diffeminatum fuit. Et deus, perinde at-  
 , que huius rei causa solum illò nos deduxerat, eo com-  
 , plecto ministerio, iterum inde abduxit. Quippe Aemilia-  
 , nus, vt videbatur, habuit in animo nos in asperiora

EVSEBII HISTORIAR

interioraq; Libya & magis deserta loca transferre. Om-  
 nino enim in Mariotâ cômigrare mādavit, & singulis no-  
 strum per regiones varias pagos præscripsit singulos; me-  
 autem propius ad regiam viam, vt primus prehenderet,  
 collocauit. Sic enim res ab illo dispensata, sicque com-  
 parata fuit, vt quando visum foret, nos comprehendere,  
 omnesque facile occupare posset. Ego vero cum in Ce-  
 phro abire iussus essem, tametsi locum vbinam esset si-  
 tus, ignorabam, & nomen nunquam antea fere audierā,  
 tamen libenter & absque animi perturbatione eo absces-  
 si. At vt primum nuntiatum erat mihi, vt in Colluthio-  
 nis agros demigrarem, qui mihi aderant, norunt quo pa-  
 cto (hoc enim mihi ipse vitio vertendum puto) animo  
 affectus essem. Primum rem valde acerbe tuli, admodūq;  
 succensui. Nam quamuis loca illius regionis magis mihi  
 cognita essent, ac magis familiaria quam Cephro, tamen  
 ipsum Colluthionem desertum à fratribus, desertum à  
 probis viris esse dicebam, & non solum molestus à cre-  
 bro viatorum transitu exhibitus, sed periculosus etiam la-  
 tronum incursionibus obiectam. Cæterum cum fratres  
 mihi significassent, Colluthionem non tam longe ab A-  
 lexandria distare, & licet Cephro magnam fratrum so-  
 cietatem ex Aegypto profectorum nobis attulisset, a-  
 deo vt maiores conuentus celebrare potuissemus; ibi ta-  
 men, quia propius inde aberat Alexandria, Crebrius ho-  
 minum summo amore, familiaritate, & amicitia, nobiscū  
 conuictorum aspectu (ad nos enim velle accedere, no-  
 strosque animos recreare, & ita tanquam in suburbiis  
 paulo remotioribus nos aliquoties conuentus agere pos-  
 se dixerunt) reuera frui licere, permagnam animo cepi  
 consolationem. Ac sic plane contigit. Post ista, de a-  
 liis rebus aduersis quæ sibi acciderant, ita scribit.  
 At multis fidei confessionibus gloriatur Germanus;  
 ac multa mala contra se patrata habet dicere ille qui-  
 dem, Sed quot quæso, iudicum sententias contra  
 nos pronunciatas potest enumerare? quot publicatio-  
 nes, proscriptionesque bonorum, quot fortunarum di-  
 reptiones, quot abdicaciones dignitatum, quantas ina-  
 nis & popularis gloriæ contempiones, quantas laudum  
 è præ-

à præfectis & a senatoribus nobis tributarum despica-  
 tiones, quantam minarum nobis obiectarū, aduersarū vo-  
 ciferationū, periculatorū, persecutionū, exilii, angustiarū, &  
 variæ cuiusque modi afflictationis tolerantiam, vt illa  
 quæ sub Decio, & Sabino, & quæ hætenus sub Hæmi-  
 liano mihi obtigerunt. Vbi Germanus comparuit? Quis  
 sermo de eo perusgatus? verum magnam istam iustiti-  
 am, in quam ob Germanum modo prolapsus sum, missam  
 facio. Quocirca rerum singularum explicationem fratri-  
 bus, qui eas tenent, sigillatim persequendam permitto.  
 Idem etiam in epistola ad Domitium, & Didymum con-  
 scripta, eorum qui istius persecutionis procellis agitari  
 fuissent, hoc modo mentionē facit. Christianos autē, qui  
 & permulti sunt, & vobis minime cogniti, nominatim ci-  
 tare superuacaneū arbitror. Sed hoc sciatis velim, viros  
 & mulieres, iuuenes, & senes, puellas, & vetulas, milites,  
 & priuatos, cuiusque generis, cuiusque ætatis extitisse:  
 quorum alii flagris cæsi, alii ignis incendio cremati, alii  
 ferro percussi, parta victoria, coronas martyrii ade-  
 pti sunt. Nonnullis autem longinquum hoc persecu-  
 tionis tempus non satis fuit, vt domino viderentur acce-  
 pti, ipseque illos ad se reciperet. In quorum numero, vt  
 verisimile est, ego ipse sum, cui adhuc vita suppetit. Ac  
 propterea ipse, qui dicit (tempore accepto audiui te, &  
 in die salutis audiui te) me in illud tempus distulit, quod  
 mihi idoneum opportunumque fore norit. Quoniam  
 autem de me meisque sociis rogatis, & quo loco sit vita  
 nostra constituta certiores fieri cupitis, accepistis, cre-  
 do, qua ratione quidam ex Mariotide, me, Gaium, Pe-  
 trum, & Paulum, à centurione, duce, militibus, & seruis  
 captiuos abductos de improviso adorti, inuitos &  
 minime sponte sequentes, vi abstraxerint, & à militibus  
 auulsos secum abripuerint: iam vero ego cum Gaio &  
 Petro, soli à cæteris fratribus separati, in desertum &  
 squallentem Libyæ locum conclusi sumus, tridui viam à  
 Paratonio distantes. Quinetiā paulo longius progressus  
 dicit. In urbem clam & ex occulto ingressi sunt, alios fra-  
 tres inuisuri: presbyteri quidem, Maximus, Dioscorus,  
 Demetrius, Lucius, (Faustinus, enim & Aquila, qui  
 hominum

Esa. 49.



EVSEBII HISTORIAE

hominum sermone celebriores sunt, in Aegypto vagi, oberrant; diaconi autem post illos, qui pestis contagione infecti interierunt, relictus Faustus, Eusebius, Charemon: Eusebium dico: quem ab initio persecutionis deus, sua gratia roborauerat, & non modo ad ministeria confessorum, qui carceribus tenebantur, summo studio, & omni animi contentione explenda, sed etiã ad lintea, quibus corpora beatorum martyrum iam vita defunctorum, inuoluerentur, neglecto vitæ periculo conficienda præparauit. Præfectus vero nihil adhuc de sua in sanctos remittit acerbitate, sed alios qui ad eum adducuntur, è medio, vt dixit, tollit: quosdam tormentis dilaniat: nonnullos arcta custodia, & vinculis contabefacit: & quamquã præcipit ne quisquã illos adeat, atq; adeo curiose inquirat, ne quis reperiat, qui eos velit adire, deus tamẽ propõso fratrum studio, & assidua eorum curatione, illos istis rerum angustiis oppressos reficit subleuatq;: Hęc Dionysius in istam includit epistolam. Intelligendum est porro Eusebium illum, quem paulo ante Diaconum nominauit, non multo post, ecclesiæ Laodiceæ, quæ est in Syria, episcopum creatum fuisse. Maximum autem, quem tum presbyterum dixit, non tunc eodem Dionysio, in ministerium ecclesiæ, & fratrum, qui sunt Alexandria, successisse: verum Faustum qui eodem tempore cum ipso Dionysio ex fidei confessione non parũ laudis collegerat, ad persecutionem quæ nobis viuens ciebatur, referuatam iam plane grandem, & longo multorum dierum decursu confectum, securi percussum, beato martyrio occubuisse. Sed de his quæ illo tempore Dionysio acciderunt, hæc tenus.

*De his qui in Casaria Palestina martyrium subierunt.*

CAP. XI.

**I**N hac persecutionis clade, quam regnante Valeriano passim manasse supra demonstratum est, tres viri ob veram Christi confessionem insigniter prædicati, Casarea Palestine bestiarum rictibus velut præda obiectati, diuino & cœlesti martyrio non sine maxima cõmendatione decorati fuerunt. Quorum vnus Paterculus vocabatur,

batur, alter Malchus, tertio nomen erat Alexander. Fertur vero istos ruri degentes, primum seipfos tanquam inertes & desidiosos probris affecisse, quod cum temporis opportunitas primum vitæ æternæ his, qui Cælesti eius desiderio gliscebant, dispertire videretur, ipsi prænegligentia quadam & segnitie, martyrii coronam non præcipuissent. Deinde cum inter se ita deliberassent, absque mora Cæsaream versus ire pergunt: extemplo proficiscuntur ad Iudicem: & eius vitæ exitum qui supra demonstratus est, assequuntur. Mulierem quandam præterea (quam Marcionis errore antea lapsam fuisse fama loquitur) eadem persecutionis tempestate, in eadem ciuitate per simile certaminis genus subiisse memorant.

*De pace que sub Galieno fuit.*

CAP. XII.

**N**on diu autem post, cum Valerianus apud Barbaros seruitutem subiisset, filius eius solus imperio potitus, clementius se gessit & moderatius in imperio gubernando: & edictis diuulgatis persecutionem remisit, relaxauitque atque adeo illos, qui verbo dei præerat, quod ipsis in more positum fuisset, libere exequi per literas mandauit: quæ quidem sic se habent. Imperator, Cæsar Publius Licinius Galienus, Pius, Fortunatus, Augustus, Dionysio, & Punia, & Demetrio, & cæteris episcopis salutem. Meæ munificentiaæ beneficiū per vniuersum orbem diuulgari præcepi, vt qui loca illa religiosa, quæ spectant ad Christianos possideant, ab illis statim discedant. Et propterea vos mearum literarum exemplari vti poteritis, quò nemo deinceps, vobis quicquam facessat molestia. Atque istud, quod nunc libere & pro arbitratu à vobis expleri queat, iam pridem à me erat concessum. His de causis Aurelius Cyrenius, qui summam rerum secundum me administrat, literarum etiam exemplar conseruabit. Aliud porro decretū illius esse dicitur, quod ad alios episcopos dedit: per quod quidem, loca illa quæ Cæmeteria nominabantur, integram ad cūdi occupandi que fecit potestatem.

*Hic quædam verba Eusebii de literarū interpretatione omni si, ne serui es orationis videretur prope ridicula.*

I 5 De



EVSEBII HISTORIAE

*Quinam episcopi illo tempore clauerunt.*

CAP. XIII.

**E**odem tempore Xystus Romanam adhuc rexit ecclesiam: Antiochenam autē post Fabium, Demetrianus: Caesariensem Cappadociae Firmilianus. Ecclesiis porro in ponto praefuerunt Gregorius, & eius frater Athenodorus, Origenis discipuli. Caesareae Palaestinae, defuncto Theoctisto, Doninus capit episcopatum: exiguo temporis interuallo interposito, cū iste discessisset à vita, Theotecnus, qui nostra aetate vixerit, successor in eius locum locatur. Iste etiā in Origenis schola educatus fuit. Quinetiam Mazabane morte confopito, Hymenaus, qui multis annis, nostro hoc aevi curriculo, magna cum laude vixerit, Hierosolymitani episcopatus sedem obtinuit.

*Quomodo Marinus apud Caesariam martyrium passus sit,  
& de historia Astirii, & de miraculis magnificentie Seruatoris nostri apud Paneadem,  
& de throno Iacobi fratris Domini.*

CAP. XIII.

**I**isdem temporibus, cum pax in ecclesiis vbique vigeret, Marinus vnus ex his, qui in exercitu Romano magnam decus & honorem fuissent consecuti, vir & genere illustris, & diuitiis locuples, propter testimonium Christi, Caesareae Palaestinae de causa capite damnatus fuit. Est quidam honos apud Romanos, qui κληματα appellatur: quem qui adipiscantur, eos Centuriones fieri aiunt. Cū locus vacaret, ordo postulabat, vt Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quod erat Christianus, tum quod imperatoribus non immolauit: ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis, illi non licet eum dignitatis gradum apud Romanos adipisci, sed illud, quicquid est muneris, mihi iure impertiri debet. vnde iudex commotus (Achuius hic erat genere) primo sciscitatus est, cuiusnam sententiae & religionis esset Marius. Quem vt animaduertit, constanter se Christianum esse confitentem,

trium

trium horarum spatium ei ad deliberandum dat. Hunc è iudicio egressum Theotecnus, qui illic erat episcopus, ad se colloquendi causa inuitat: & prehensa manu, recta deducit in ecclesiam. Quem cum interius ad ipsam sanctuarium collocauisset, læua paululum in alteram partem dimota, gladium, quo cingebatur, ostendit, simulque diuinorum euangeliorum librum adferens, ex aduerso proponit: præcipitque, vt ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia deligeret. vbivero absque cunctatione porrecta manu dextera, sacrum librum accepit, Theotecnus sic illum affatur. Tene & adhere sce Deo. Sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequere. Abi in pace. Illum statim inde redeuntem præco pro tribunali aduocat. Iam enim tempus illi præstitutum ad deliberandum, erat completum. Siftit se pro tribunali: qui cum maiorem iam, quam antea fidei ardorem, ac studium declarasset, actutum inde, vt erat ad mortem recta abductus, martyrio excessit è vita.

Astyrius etiam vir è senatorum Romanorum numero, cum imperatoribus in primis charus, tum omnibus & nobilitatis, & facultatum gratia conspicuus, in eadem ciuitate propter diuinam animi propensionem, quam tam libere erga veram pietatem declarasset, omnium sermone celebratur: qui cum martyri ipso mortis articulo præsto adesset, simul atque è vita migrarat, Cadauer tollit, splendida & pretiosa obtegit veste: atque humeris impositum, inde deportat, quod cum magnifico & sumptuoso linteo inuoluisset, decenti sepulchro condidit. Huius viri familiares, qui hucusque vitam produxerunt, cum alia infinita præclara eius facta memorant, tum istud in primis, quod sequitur, quodque plenum est admirationis. Cæsareæ Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, fertur victimam quandam in fontes, qui illic ex radicibus montis Panei prorumpunt (ex quibus Iordanem profluere dicitur) in quadam die festi gentilium celebritate maciatam, conici: atque eam Dæmonis vi ac potestate mirandum in modum ab eorum aspectu euanescere, miraculumque videri præsentibus valde memorabile.

Quibus

EVSEBII HISTORIAE

Quibus dum gerebantur, Astryrium quodam tempore forte interfuisse. Ac cum videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorum erroris admodum miserum esse. Deinde sublaris in caelum oculis, Deum omnium rerum moderatorem per Christum supplicem precatum, ut daemonium illud, quod populum tanto errore caecavisset, comprimeret, ipsum à fraude ac fallacijs, quas hominibus solet intendere coerceret. Hoc modo cum Deum orauisset, repentinò victimam fontibus superata essetq; ita rem illam, quam tantopere mirari consueverant, in nihilum interiisse, vsque adeo ut nullum in posterum in eo loco ex ea omino ederetur miraculum. Sed quoniam in huius ciuitatis mentionem incidi, opera pretium arbitror historiam hoc loco citare, quæ digua planè videtur, quam memoria ad posteritatem commendemus. Mulierem illam sanguinis profluuio afflictatam, quam sanctorum euangeliorum testimonio à Seruatore nostro morbi remedium inuenisse cognouimus, ex ea ciuitate oriundam, illiusque domum ibi ostendi, & admirabilia quædam seruatoris in eam beneficii monumenta & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, anciam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis, in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam: huic è regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflata, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quandam & inuisitatam herbæ speciè enasci: quam quidem, vbi ad ænei vestitus simbriam excreuerit, morbis cuiusque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt: Quam ad nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec plane mirum, eos, qui ex gentilibus prognati, à seruatore dum inter homines viuebat, beneficijs affecti fuissent, ista effecisse, cum & nos Petri & Pauli apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas, conseruatasque aspeximus: idque propterea sicut verisimile est, quod maiores nostri ad gentilis consuetudinis

Zozome.  
in 5. fol.  
71. b.  
Marci 5.

tudinis similitudinem quàm proximè accedentes, eos qui tanquam seruatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidii attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueuerant. Iacobi enim apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopatum à seruatore, & cæteris eius apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum diuina perhibens eloquia) ad istud tempus seruatum, episcopi qui illic ordine successerunt, permagno æstimant: vnde declarant, perspicue, quemadmodum veteres patres ad nostram vsque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent. *Ista hætenus.*

*De epistolis Dionysii, in quibus de festis & Paschate præscribit.* CAP. XV.

**D**ionysius præter epistolas à nobis ante citatas, alias eodem tempore, quas *ἑορτασιῶν*, id est de festorum celebratione, composuit: in quibus orationes, quæ festi Paschatis laudes plenius vberiusque continuerunt, instituit. Ex quibus vnã Flamio, alteram Domitio, & Didymo dicauit. In hac canonem octo annorum citat, quod festum Paschatis non alio anni tempore, quàm verno æquinoctio celebrari debeat. Aliam præterea epistolam ad compresbyteros Alexandriæ exarauit: atque ad alios diuersos, ingruente persecutione, diuersas scripsit epistolas.

*De hiis quæ acciderunt in Alexandria.* CAP. XVI.

**V**bi iam pax, sedata propè persecutione, constituta fuit, Dionysius rediit Alexandriam. In qua vrbe tam grauis seditio & bellum intestinum de integro ciebarur, vt fratres in ciuitate, propterea quòd omnes in alterutram seditionis partem diuisi erant, Dionysius nullo modo posset inuisere: vnde in ipso Paschatis festo ab ipsa Alexàdria velut exul ab extera regione per literas cum

EVSEBII HISTORIAE

cum illis colloqui coactus fuit. Quinetiam aliam postea,  
 epistolam ad Hieracem ecclesiarum Aegypti episcopum,  
 de festorum celebratione conscripsit: in qua seditionis,  
 quae eodem tempore fuit Alexandriae concitata, his  
 verbis mentionem facit. Quid mirum si arduum & dif-  
 ficile mihi sit apud eos, qui longinquiore locorum in-  
 tercapedine distant, per epistolas tanquam coram ser-  
 mones conferre, cum & mihi ipsi mecum colloqui, & pro-  
 prio animo in varias partes distracto consilium dare an-  
 ceptus & periculosum videatur. Nam ad viscera mea,  
 meos charissimos fratres, contubernales, vno animi  
 consensu mecum concordēs, ecclesiae eiusdem ciues,  
 cogor equidem necessario literas scriptas dare: eas ta-  
 men ad illos mittere videor mihi nullo modo posse. Fa-  
 cilius enim, non dicam in exterās regiones, sed ab ori-  
 ente, ad occasum vsque iter facere quisquam poterit,  
 quam ab vna Alexandriae parte ad alteram pergere. Me-  
 dia namque ciuitatis platea plus habet periculi, plusque  
 difficultatis ad transeundum, quam solitudo illa desert-  
 ra longa, ac nullis hominum vestigiis trita, quam Israe-  
 litae vix duabus hominum aetatibus peragrarunt: &  
 quam ipsum etiam mare rubrum: quod quidem in duas  
 partes disruptum, & instar duplicis muri vtrinque erectum,  
 praetergrediuntibus Israelicis transitum dedit perfaci-  
 lem. Illi porro placidi & tranquilli vrbis portus, flu-  
 uium eorum, quibus Aegyptii erant in traiectione sub-  
 mersi, veram effugiem gerunt: qui saepenumero propter  
 hominum caedes in illis factitatas, & effusum cruorem, si-  
 miles etiam maris rubri apparent. Fluius item, qui in  
 urbem illabitur, interdum aridior & magis squallidus,  
 exiccatusque videtur, quam solitudo illa aquae expertis,  
 quam Israelitae paragrantes, tanta siti opprimebantur,  
 vt eousque contra Moysen contumeliose vociferaren-  
 tur, quoad potentia Dei, qui solus edit miracula, aqua  
 quam biberent, ex dura & praerupta petra copiose ef-  
 flueret: interdum tantopere inundat, vt per omnia loca  
 finitima, vias & agros perlabatur, terroremque incola-  
 rum animis iniiciat, ne diluuium, quod temporibus Noe  
 totam terram perluebat, rursus irrumpens, omnes  
 penitus

penitus obruat. Et sicut olim à Moysè ob Pharaonis contumaciam erat in cruorem mutatus, & fœtidum post odorem fundebat: ita iam sanguine, cæde, & hominibus in eum demersis contaminatus semper defluit. Quænam alia aqua, quæso (cum aqua sit quæ sordes cuiusque rei abluit) vsquam reperiri poterit, quæ aquam huius fluiui penitus purgare valeat? Aut quomodo immensus, & pene interminatus Oceanus, licet totus in eum esset infusus, sordes huius acerbi & amari pelagi omnino eluere queat? aut qua ratione ingens fluiuius ex Edem egrediens, etiã si quatuor illa capita, in quæ diuiditur, in vnum caput, nempe in alueum Geonis (qui est vnus ex illis quatuor) deriuarentur, istam tabem & culluiem expurgare possit? aut quando aer adeo corruptorum vbique halituum contagione infectus turbatusque, purus est & salubris futurus? Etenim tam lethales à terra vapores in sublime tolluntur, tam pestiferi è mari cientur venti, tam tabidæ ex fluminibus aspirationes efflantur, tam insalubres ex portubus nebulae erumpunt, vti ros, qui vndique diffunditur, nihil aliud sit quàm sanies cadauerum sub dio putrescentium: quæ quidem elementa, ex quibus fuerunt generata, tetro odore inficiunt. Et tamen mirantur admodum secumque quærunt, vnde adeo continuæ pestes, vnde adeo graues morbi, vnde adeo variæ cuiusque modi corruptelæ, vnde adeo multiplex & diuersus hominum interitus oriatur. Quærunt etiã quã obrè ciuitas ista maxima, nō amplius tantam habitatorū multitudinem ferat, (si à tenerrimis pueris incipias numerare, & ad senes ætate prouectissimos progrediaris) quantam senū, quos vocant *ἡμογέροντες* id est senes, quibus iam primum obrepit senectus, antea nutrire cōsueuisset. Nam ex illis, quorum ætas erat inter quadragesimum, & septuagesimum annū interiecta, id temporis adeo multi fuerunt, vt numerus eorum, qui inter decimum quartum, & octogesimum iam sunt interpositi (quorū nomina in tabulas publicas pro diuisione frumētū factitatas relata sunt) eorū numerū omnino non possit exæquare. Et qui iam sunt aspectu adolefcētes maxime, tanquam æquales fiunt eorū, qui olim senes erāt maxime.

Et

## EVSEBII HISTORIAE

Et quamuis iam animaduertunt hominum genus in terra, magis magisque indies ad hunc modum attenuatum absumptumque, nullo tamen timore horrescunt: quin neque cum illorum omnium omnino interitus crescat, & latius quotidie maneat fundatur, vlla ex parte reformidant.

*De morbo qui tunc inualecebat.*

CAP. XVII.

**P**orro autem cum pestifer ac lethalis morbus bellum continuo insequeretur, cumque festi Paschalis celebratio modo appropinquaret, deinceps rursus fratribus scripsit Dionysius, & graues calamitatis perturbationes illis significauit, his ferè verbis. In hac miseriarum turba alius fortasse, neque hoc tempus, neque aliud, imo neque illud ipsum tempus, quod homines putarent omnium esse lætissimum, (nedum alia tempora) ad festum celebrandum satis idoneum videretur. Etenim iam lamentationum plena sunt omnia, iam lugent omnes iam mcerores, iam querelæ vniuersam urbem propter multitudinem cum illorum qui modò mortui sunt, tum horum, qui quotidie moriuntur, occupant. Nam sicut de primogenitis Aegyptiorum scriptum est, sic & nunc ingens clamor editur, non enim est domus, in qua non sit mortuus: idque planè merito. Multa namque & graua incommoda perditio eorum conatu Christianis etiam ante hoc tempus importata fuissent. Primum omnium nos ex vrbe expulerunt, quo quidem tempore nos soli cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, & multati morte, festum lætis animis celebrauimus, & singula loca ad singula afflictionum genera nobis præstituta, vt ager syluestris, solitudo deserta, nauis fluctibus iactata, diuersorium publicum, & horridus carcer, oportuna videbantur, in quibus celebres conuentus maximo cum studio ageremus. Quin beati martyres qui è vita cesserat, & à Deo in cælum ad epulas erant inuitati, festum omnium certè splendidissimum peregerunt. His de rebus deinceps, bellum & fames eos de improviso oppressere: quæ quæque nos vnà cum gentilibus perferabamus, soli tamen inter omnes

omnes, quæcunque vrgebant, æquo animo sustinimus:  
 & tametsi illarum rerum, quas illi cum consciuissent ipsi  
 inter se, tum præterea perpessi essent, eramus ex æquo  
 participes, pace tamen Christi, quam nobis solum Cle-  
 mens largitus est, rursus mire nos ipsos oblecta-  
 uimus. Cæterum vix tum nos, tum illi breuissima  
 ad respirandum sumus intercapedine potiti, cum pestis  
 ista subito grassari cœpit: res plane illis ad terrendum o-  
 mni metu formidolosior, ad excruciamdum quauis cala-  
 mitate miserior acerbiorq; & vt proprius illorum scri-  
 ptor memorat, ad cogitandum solum omnium opinione  
 maior. Verum nobis nõ eius generis putabatur, sed à Deo  
 cum ad fidem nostram exercendam, tum ad tolerantiam  
 animi probandam, nihilo minus, quàm alia rerum inconi-  
 modarum genera quæ aliquando obtigissent, cælitus in-  
 fictam. Et sicut alicubi à nobis minime abstinuit: sic in  
 gentiles longe lateq; oberrauit. Paulo post adiungit ista:  
 Quam plurimi è fratribus nostris adeo immenso quodã  
 charitatis, & fraternæ beneuolentiæ ardore erant inflam-  
 mati, vt minime suæ parcentes vitæ, sed ipsi sibi inter se  
 firme adhærescetes, eos qui morbo opprimebantur, nul-  
 la sui cura aut cautione adhibita, sedulo inuiserent, illis  
 inferuissent assidue, pro viribus ob Christi amoré cura-  
 rent, vna cū illis decederet è vita, lubentissimè cõtagio-  
 ne aliorum infecti, etiã morbū à proximis quodãmodo  
 ad se attraheret, suaq; sponte aliorum mœrores beneuole  
 mitigarent. Multi item dum alijs ægrotantibus curã ad-  
 hibent, illisq; vires restituunt, ipsi aliorum mortem in se  
 deriuantes, vitam amittunt. Et verbum illud, quod vul-  
 go semper dicitur, quodque veræ beneuolentiæ solū vi-  
 detur conuenire, nimirum vt singuli pro amicis abeant è  
 vita, seq; eorū causa, vt ita dicam, reiectamentū efficiat,  
 re ipsa expleuerunt. Ex fratribus igitur, qui virtute facile  
 erant præstantissimi, ad hunc modum mortem oppetiue-  
 runt. Quorū nonnulli erant presbyteri, alij diaconi, qui  
 dam è populo virtutis ergo multum laudati: adeo vt  
 istud mortis genus quod propter incredibilem pietatem,  
 & robustã fidem suscipiebatur, nihil à martyrij splendore  
 abesse videretur. Quinetiam sanctorum corpora ma-  
 nibus



## EVSEBII HISTORIAE

aibus erectis supinisque excipere gremio suo reponere,  
 occludere oculos, ora obturare: gestare humeris cada-  
 vera, decenter ornare, illis adhærescere: amice comple-  
 cti: lauare accurate: & linteo funebri inuoluere non gra-  
 uati sunt: ipsiq; qui supererant, paulo post similia officia,  
 in se collata propterea adepti, quòd eadem mortis viam,  
 instarent, quam qui præuierant, institissent: Gentiles au-  
 tem his omnia fecere contraria. Eos enim qui ægrotare,  
 incipiebant, ab ædibus extrudere, deserere amicissimos,  
 in plateis semiuiuos proijcere, cadauera insepulta cani-  
 bus exponere dilanianda, mortis participatione & quasi  
 communionem auertere: quam plane vel infinita diuerti-  
 cula quærentes, nullo modo poterant euitare.

*De Gallieni regno. CAP. XVIII.*

**P**ost istam epistolam, cum ciuitatis status denuo pax  
 tus esset & tranquillus, Dionysius fratribus qui Aeg-  
 yptum incoluerunt, aliam de festis celebrandis mi-  
 sit: & præter illam, alias etiam varias exarauit. Extat ite-  
 eius epistola de sabbato, alia item de Gymnasio. Hermá-  
 moni porro & aliis in Aegypto fratribus literas conscri-  
 bens, ubi alia tū de Decij sceleribus & improbe factis, tū  
 de facinorosis moribus illorum, qui Decium subsequen-  
 bantur disseruerit, pacis & concordie, quæ in ecclesia  
 Galieno regnante, vigeat, meminit. verum ipsius verba  
 audire non alienum ab eo, quod agimus, existimo, sic nã-  
 que scribit. Macrinus ille imperatorum, quibus inferuie-  
 bat, alterum prodens, alteri parans insidias, cum vniuer-  
 sa familia breui radicibus extirpatus fuit. Galienus igitur,  
 & antiquus & nouus imperator denuo summo om-  
 nium consensu declaratur: qui cum ante Macrinum & li-  
 beros imperator fuit, cum post illorū mortē imperij gu-  
 bernacula suscepit: iuxta illud quod est ab Hesaia pro-  
 pheta prædictum. Quæ à principio fuerunt, ecce venen-  
 runt, & noua sunt, quæ iam orientur. Quemadmodum e-  
 nim nubes subter radios solis percurrens, eosdemq; ad  
 tempus opacans, ipsum etiam solem umbra obscurat, &  
 eius locum videtur occupare, deinde ea aut prætergref-  
 sa, aut

sa, aut liquefacta tepore, sol qui ante etiam oriebatur,  
 iam maiori cum splendore rursus quodammodo oriri  
 cernitur: sic Macrinus, qui se alijs prapofuerat, & impe-  
 rio Galieni, quod tantopere ambiebat, appropinquare  
 contenderat, non amplius est imperator, quoniam iure  
 non erat, hic ut antea, sic iam pari dignitate elucet. Atq;  
 imperium, tanquam squallida illius senectute deposita,  
 & antegressa vitiorum labe perpurgata, iam florentius  
 viret, longius cum oculis conspicitur, tum auditione  
 manat, fama denique maiore cum amplitudine ubiq; ge-  
 rium peruagatur. Deinceps de tempore, quo hęc scripse-  
 rit, ista memorat. Mihi rursus occurrit annos huius impe-  
 ratoris considerare. Illos enim, qui maxima fuerunt im-  
 pietate nobilitati, & propterea non multo post absque  
 nomine hominum animis omnino exciderunt, non vi-  
 deo cur in memoriam reuocem. Verum de Galieno di-  
 cam breuiter. Hic vitam pietate magis eximiam, Deique  
 cultu clariorem traducens, octauo imperij anno prater-  
 lapso, iam nonum annum agit: in quo nos festa lætis ani-  
 mis celebremus.

*De Nepote & eius Schismate.*

*CAP. XIX.*

**P**Ræter ista omnia Dionysij opera, alij duo libri de  
 promissis erant ab eo elaborati. Causa cur hos scri-  
 pserit, erat episcopus Aegypti, nomine Nepos: qui  
 promissa in sacris scripturis sanctis viris factitata, in hoc  
 seculo (sicut Iudæi somniant) præstanda fore docuit:  
 hominibusque persuadere laborauit, eos certo quodam  
 millenario annorum numero in delicijs corporeis & vo-  
 luptate, in terra victuros. Qui cum putaret, se ex Ioan-  
 nis Apocalypsi suam opinionem posse obrinere, librum,  
 quem ἔλεγχον ἀλλυγορισῶν, id est reprehensionem,  
 eorum qui allegorias componunt, inscribebat, de hoc  
 argumento edidit. Cui Dionysius in duobus illis libris,  
 quos de promissis contexuit, acriter contradicit.  
 In priore suam ipsius sententiam, de eo dogmate ex-  
 ponit: in posteriore autem de Ioannis disputat A-  
 pocalypsi. In cuius initio de Nepote mentionem  
 V 2 faciens,

## EUSEBII HISTORIAE

faciens, ita scribit. Quoniam librum quendam Nepotis, pro se afferunt, quo quidem perinde ac si in illo certis, indubitatisque argumentis Christi regnum in terra futurum probatum esset, magnopere niti & confidere videntur, dicam equidem, quod sentio: quanquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector & diligo, ut pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque, ac varijs psalmis, hymnisque ab eo compositis, quibus hucusque nonnulli fratres libenter vtuntur, verum etiam, propterea quod ex hac vita migravit, hominem multo magis revereor: veritas tamen multo amicissima est, & omnibus rebus merito anteponi debet. Ac si quid recte dicatur, laudandum illud quidem, sine invidia: sin quicquam parum sincere & integre sit scriptis mandatum, hoc cum diligentia & disquirendum, & coarguendum. Contra aduerfarij, qui coram adest, & verbis solum ac sermone opinionem suam tueri laborat, colloquij absque scripto, quod partim interrogando, partim respondendo, iis, qui nobiscum ex aduerso pugnant, persuadere, eosque in nostram sententiam pertrahere solet, satis profecto momenti habebit & ponderis. Verum opus scriptum nobis obiectum sit, illudque, ut quibusdam placet, ad persuadendum valentissimum, cumque doctores eius secte, legem & prophetas pro nihilo putent, euangelia sequi negligant, Apostolorum epistolas deprauent, huius tamen operis, quod dixi, doctrinam, tanquam magnum aliquod, & abstrusum mysterium complectentem asseuerant, cumque fratres nostros aliquanto simpliciores, & magis imperitos, de sublimi & admirando opere vel gloriosi vereque diuini Domini nostri aduentus, vel nostrae a mortuis resurrectionis, vel cum Domino coniunctionis consociationisque, & ad eius immortalem naturam assimilationis, non aliquando cogitare sinant, sed illis persuadere conentur, in regno Dei abiecta & mortalia praemia (qualia ab hominibus in hac vita expectare solemus) tandem futura, nobis certe necessum arbitror aduersus istum fratrem, quem dico, Nepotem, perinde ac si praesto adestet, acuta ratione disceptare. Deinde quibusdam adiectis sic loquitur.

tur. Cum essem in loco quodam, qui Arsenoites dicitur,  
 ubi, ut nosti, iam pridē hoc dogma prodiit in lucē, sic ut  
 non modo schismata nascerentur, sed integræ ecclesiæ à  
 fide deficerēt, presbyteros eius sectæ qui fratribus in sin-  
 gulis pagis vndiq; prædicabant verbū Dei, conuocaui,  
 eosq; magnoperē cohortatus sum, ut palam præsentibus  
 fratribus, audireq; cupientibus, illorū doctrina exquisite  
 discuteretur. Atq; cum librū qui illis erat tanquā quod-  
 dam propugnaculū, & murus inexpugnabilis, ad me attu-  
 lissent, confidens in vno loco cū illis, toto triduo à pri-  
 mo mane vsq; ad vesperam, quæ in eo scripta erant, stu-  
 diose refutare conabar. Ibi tum quidem certe fratrum cō-  
 stantiam, studium veritatis, facile obsequium, & pruden-  
 tiam ideo supra modum admirabar, quod tam præclaro  
 ordine, & tanta cum modestia rogabant, disceptabāt, no-  
 bisq; assentiebantur, atq; etiam tam diligenter præcaue-  
 bant, ne illis, quæ fuerāt ante ab ipsis decreta, si quicquā  
 in eis veritati repugnare videretur, mordic⁹ adhererēt:  
 quin etiā contrarias rationes minime omittebant nobis  
 opponere, sed quoad eorum fieri poterat, ea quæ erāt ab  
 ipsis proposita, munire & defendere tentabant: & cōtra,  
 ubi poscebat ratio sentētiam mutare, & nostro assentire  
 iudicio, eos neutiquam omnino pudebat, denique con-  
 sciētia integra, sincera cogitatione, & puris erga Deum  
 ac simplicibus animis, ea quæ erant firmis rationibus &  
 testimonijs à sacris literis depromptis confirmata, admo-  
 dum approbabāt. Ad extremū huius doctrinæ princeps  
 & dux Coracion, omnibus fratribus, qui aderant audien-  
 tibus, palam confessus est, nobisq; attestatus, neq; se vel-  
 le deinceps, quandoquidem aduersariis rationibus se pu-  
 tabat satis abunde conuictum, illi dogmati animum adhi-  
 bere, neq; de eo differere, neq; mentionē facere, neq; ali-  
 quando illud vsquā docere. vnde alij fratres, qui aderāt,  
 pro ista disceptatione in publico ecclesiæ conuentu ha-  
 bita, proq; omnium conciliatione & concordia maximā  
 læticiam animis perceperunt.

*De Apocalypsi quæ fertur Ioannis. C. AP. XX.*

**D**ionysius paulo post in eodem libro de Apocalypsi  
 Ioannis ista refert. Quidā ante nos librum Apoca-

EVSEBII HISTORIAE

Iypsis omnino antiquare, irritūq; facere, cū singula eius  
 capita coarguendo, tum ipsum totum nec probabilitate  
 roboratū, nec ratione conclusum ostendendo, magno-  
 pere studuerūt, & falso titulo (nam dixerunt non esse Io-  
 annis librū, imo neq; eā posse esse reuelationē, quā tam  
 crasso ignorationis inuolucro esset obiecta) inscriptum  
 affirmarunt: & non fieri posse, vt Apostolus aliquis, imo  
 vero neque ex sanctis viris, aut ex aliis, qui sunt ecclesie  
 membra, quispiā, sed Cerinthus quidā (vnde hæresis Ce-  
 rinthiana primū orta inuictaq; est) eius libri author exi-  
 steret: qui operi suo tā commentitio, tamq; pleno vani-  
 tatis nomē celebre & dignū approbatione voluit impo-  
 nere. Peruersam aut istius Cerinthis doctrinam talē fuisse  
 memorāt: regnū Christi terrestre fore: eumq; vt pote cor-  
 poris voluptatibus & carnis illecebris penitus deditum,  
 in illis rebus quarum cupiditate incendebatur, regnum  
 Christi futurum somniasse: hoc est non in illis solū, quæ  
 ventri, & partibus quæ ad Venerem explendam pertinet  
 inseruiant, vt in esculentis, & poculentis, & nuptijs: verū  
 etiam in his, quibus illas facilius & procliuus suppedi-  
 tari putabat, hoc est in festis, victimis & hostiis macta-  
 tis. Verum ego librum ipsum nullo modo audeo abro-  
 gare, præsertim cum adeo multi fratres eum tam magno  
 æstiment: sed hanc mecum de eo opinionem concipio,  
 longe abstrusorem esse in illo materiam, quam mēs mea  
 facile consequi queat, & in singulis propē sententiis sen-  
 sum quendam mysterijs inuolutum, & valde admirabile  
 delitescere plane existimo. Et quanquam eum ipse non  
 intelligo, suspicor tamen intellectum quendam recondi-  
 tiore verbis ipsis inclusum: atq; istas res non propria ra-  
 tione metior ac pōdero, sed fidei potius tribuo, & altio-  
 res diuiniōresq; profecto arbitror, quā quas ipse vllō  
 pacto cogitatione cōprehendere valeam. Atq; non eas  
 improbo, quas non intelligo, sed ideo potius admiror,  
 quod mentis acie lustrare non queo. Deinceps autem si-  
 mul ac totum Apocalypsis librū accurate disquisuerit,  
 eumq; ex eo sensu, qui nobis in prōptu positus videtur,  
 non posse intelligi demonstrauerit, hæc adiungit. Cum  
 ipse propheta totā illam prophetiā ferē ad exitum perdu-  
 xerit

xerit, non eos solum, qui eam obseruant, beatos pronun-  
 tiat, sed se ipsum etiã. Beatus est inquit, qui custodit ver-  
 ba prophetiæ libri huius, & ego etiam Ioannes qui vidi  
 & audiui hæc. Proinde ipsum authorem libri Ioannẽ ap-  
 pellari, & librũ à Ioanne quodã scriptum non equidẽ in-  
 ficias eo. Nam ab aliquo viro pio & diuinitus inspirato  
 editum, facile assentior. Attamen hunc Apostolũ fuisse,  
 filium Zebedæi, fratrem Iacobi, à quo tum euangelium,  
 quod secundum Ioannem inscribitur, tũ epistola catho-  
 lica, composita fuit, non tam facile possum concedere.  
 Nam ex vtriusq; cum stylo, tum verborũ genere, tum to-  
 tius libri Apocalypsis velut discursu, non eundem esse  
 Ioannem coniectura auguror. Euangelista enim nomen  
 suum nusquam inscribit, neq; seipsum, vel per euangeliũ  
 vel per epistolam aliquando prædicat. Deinde paucis in-  
 terpositis, iterum ita disserit. Ioãnes de libro vel tanquã  
 à seipso, vel tanquam ab alio quopiã scripto, nullo in lo-  
 co mentionẽ facit. Iste autem qui scripsit Apocalypsim,  
 statim in initio nomen suum ponit. Apocalypsis Iesu  
 Christi, quam dedit illi Deus, vt palam faceret seruis  
 suis quẽ oportet fieri cito, & significauit mittens per an-  
 gelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhi-  
 buit verbo Dei & testimonium Iesu Christi, & quæ vi-  
 dit, Deinde in eadem Apocalypsi, tanquam epistolam  
 quandã scribit. Ioannes septem ecclesiis, quæ sunt in  
 Asia: gratia vobis & pax. Verum euangelista, ne in epi-  
 stola quidem catholica, nomen præfatur, sed exordio su-  
 peruacaneo omisso, ab ipso mysterio diuinæ reuelatio-  
 nis initium capit. Quod erat ab initio, quod audiui-  
 mus, quod vidimus oculis nostris. Ac pro eadem reuelatione  
 Dominus Petrũ beatũ dixit, sic locutus. Beatus es Simõ  
 Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater  
 meus cælestis. Quineriã neq; epistolæ secundæ, & tertię,  
 quæ dicuntur esse Ioannis, licet perbreues sint, Ioannes  
 nominatim præponitur. Sed presbyter inscribitur vacãs  
 nomine. Iste Apocalypseos author nõ satis esse putabat  
 semel se nominare, & ita in reliqua oratiõẽ progredi, sed  
 nomẽ iterum atq; iterum repetit. Ego Ioãnes frater ve-  
 ster, & particeps in tribulatiõẽ, & regno, & paciẽtia in Iesu Chri-

Apoc. 22.

Apoc. 1.

Apoc. 1.

1. Ioan. 1.

Matt. 16.

Apoc. 1.

EVSEBII HISTORIAE

Apoc. 22.
 fu Christo, fui in insula quæ appellatur Patmos, pro-  
 pter verbum dei, & testimonium Iesu Christi. Rursus  
 in extremo libro ista memorat. Beatus qui custodit ver-  
 ba prophetiæ libri huius, & ego Ioannes qui vidi et au-  
 diui hæc. Idcirco quod Ioannes sit, qui hæc scribat, fides  
 ei ita de se loquenti adhibenda est: Sed quisnam Ioan-  
 nes iste fuerit, incertum est. Neque enim vocat seipsum,  
 quemadmodum Ioannes euangelista in euangelio sæpe,  
 dilectum à domino discipulum, neque eum qui supra pe-  
 ctus domini recubuerit, neque fratrem Iacobi, neq; con-  
 templatorem, & auditorem domini. Aliquid namque  
 istorum quæ demonstrata sunt, dixisset, eo quidem ani-  
 mo, vt seipsum quis esset perspicue declarare potuisset.  
 At horum nihil dixit, sed fratrem vestrum, & partici-  
 pem dixit, & testem Iesu, & beatum ob contemplatio-  
 nem, & auditionem reuelationum. Cæterum Ioannis A-  
 postoli multos fuisse gentiles, arbitror: qui propter sin-  
 gularem amorem, quo erga illum affecti erant, propter  
 admirationem quam de eo habebant, & propter æmula-  
 tionem, qua ad illum imitandum flagrabant, & quod à do-  
 mino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appella-  
 tionem amplexati sunt. Quemadmodum nomina Pauli  
 & Petri, fidelium liberi crebro ferunt. Est item alius Ioan-  
 nes in Actis Apostolorum cognomento Marcus: quem  
 Barnabas & Paulus sibi in societatem ascuerant, vtrum  
 sit hic, qui Apocalypsim scripserit, non possum pro cer-  
 to affirmare. Nam non est scriptis à Luca proditum, eum  
 in Asiam vnà cum illis aduentasse: sed soluentes, vt ipse  
 ait, à Papho, Paulus & qui cum Paulo erant, venerunt  
 in Pergem Pamphylia. Ioannes ab illis decedens reuer-  
 titur Hierosolymam. Alterum ergo puto eorum fuisse,  
 qui in Asia versabantur. Siquidem duo ferunt Ephesi es-  
 se monumenta, & vtrumque Ioannis nomine inscriptū.  
 Porro cum ex sensu, tum ex verbis, eorumque compo-  
 sitione, merito alter ab eo, qui scripsit euangelium, existi-  
 mabitur. Nam euangelium, & epistola inter se consen-  
 tiunt, & incipiunt eodem fere modo. Illud enim sic lo-  
 quitur. In principio erat verbum. Hæc ita dicit. Quod  
 erat ab initio. Illud ait, Et verbum caro factum est, & ha-  
 bita-

Acto. 15.

Act. 13.

bitauit in nobis, & vidimus gloriã eius, gloriã quasi vni-  
 geniti à patre. Hæc eadẽ ipsa loquitur paululũ admodũ  
 immutata. Quod audiuius, quod vidimus oculis no-  
 stris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaue-  
 runt, de verbo vitæ, & vita manifestata est. Ista enim tan-  
 quam prolusione quadam tam sæpe, & tanta cum animi  
 contentione repetit, contra eos (sicut in sequenti ser-  
 mone declarauit) qui asseriebant dominũ non venisse in  
 carne: & propterea hæc studiose accurateque attexuit.  
 Quod vidimus, testamur, & annuntiamus vobis vitam  
 æternam, quæ erat apud patrẽ, & apparuit nobis. Quod  
 vidimus, & audiuius, annuntiamus vobis. In isto inhæ-  
 ret, & ab eiusmodi sententiis fere non digreditur. Iis-  
 dem tanquam rerum capitibus, iisdemque verbis omnia  
 tum in euangelio, tum in epistola profequitur. Quorũ nõ  
 nulla nos breui obseruatione notabimus, Qui vero attẽ-  
 ta cogitatione in perlegẽdis & euangelio & epistola se-  
 defixerit, in vtroque reperiet sæpe vitã, sæpe lucẽ, dehor-  
 tationem à tenebris, semper fere veritatem, gratiam, gau-  
 dium, carnem & sanguinem Domini, iudicium, remissio-  
 nem peccatorum, charitatem dei erga nos, charitatis mu-  
 tuæ inter nos mandatum, quomodo oporteat omnia ser-  
 uare mandata, reprobationem mundi, Diaboli, Antichrẽ-  
 sti, sancti spiritus promissionem, adoptionem filiorum  
 dei, fidem à nobis omnino requisitam, patrem & filium  
 vbique inculcatum, & vt summatim dicam, Si omnes e-  
 uangelii & epistolæ quasi dicendi formas notare lubet,  
 vnum & idem vtriusque tanquam filum orationis ani-  
 maduertere in procliui erit. Apocalypsis autem ab his  
 alienissima est, & maxime præ his peregrina, adeo vt  
 neque sensu cum illis coniuncta sit, neque prope acce-  
 dat, neque syllabam (penè dixerim) habeat cum illis  
 communem: Imo neque mentionem vllam, neque si-  
 gnificationem epistola (missum enim facio euangelium)  
 habet Apocalypseos, neque Apocalypsis epistolæ, cum  
 tamen Paulus de reuelationibus, licet eas non per se &  
 separatim conscripserit, aliquam mentionem faciat. Præ-  
 terea ipsa dictionis formula differentiam euangelii &  
 epistolæ ab Apocalypsi facile licet internoscere. Nam



## EVSEBII HISTORIAE

illa non modo, vt Græci loquuntur, ἀστράϊσως id est absque vllō orationis vicio, sed etiam summa cum verborum elegantiā, maximo sententiarum pondere, & concinna elocutionis dispositione perscripta sunt: tantum abest vt vox aliqua barbara, aut Solæcismus, aut imperitus & rudis sermo in eis reperiatur. Habebat enim euangelista vt viderur, hæc vtraque: & disertum sermonem, & scientiam diuinam: propterea quod dominus ista duo, nimirum donum sapientiæ, & donum cognitionis, illi largitus fuisset. Et quanquam hunc, qui scripsit Apocalypsim scientiam & prophetiam animo cepisse, non equidem inficior, eius tamen sermonis proprietatem, & linguam non adeo limatē & politē græce loquentem animaduerto: sed modis loquendi planē barbaris vtentem, & interdum etiam solæcismo: quæ quidem in præsentia adnotare non est necesse. Nec quisquam me cauillandi studio adductum hæc dixisse existimet, sed solum, vt istarum scripturarum dissimilitudinem accurate distinguerem.

*De epistolis Dionysii Alexandrini episcopi.*

CAP. XXI.

**P**Ræter epistolas Dionysii supra commemoratas aliarum complures eius extant epistolæ: vt illæ quæ sunt contra Sabellium ad Ammonem ecclesiæ Bernicensis episcopum missæ: & ea quæ ad Telephorum, & quæ ad Euphranorem data fuit: alia iterum ad Ammonem, & Euporum. Quatuor item libros de eodem argumento, nempe contra Sabellii hæresim composuit: quos gentili suo Dionysio, qui Romanus erat episcopus, dedicauit. Non pauca præter has sunt illius apud nos epistolæ. Quinetiam libri illius sunt, epistolæ forma, pluribus verbis compositi: vt hi de natura Timotheo filio dicati: Alius de tentationibus, quem Euphranori obtulit. Ad Basilidem porro ecclesiarum Pentapolis episcopum scribens, ait se commentarios in principium libri, qui Ecclesiastes dicitur, confecisse. Adde huc diuersas & varias eius epistolas ad eundem Basilidem scriptas, quas nobis reliquit verum de Dionysii operibus satis.

De

*De Paulo Samosatensi, & de heresi ab eo in Antiochia instituta, & de claris episcopis, qui per ea tempora innotuerunt.*

## CAP. XXII.

**I**Am vero post istarum rerum explanationem sequitur ut res nostra ætate gestas quales tandem fuerint, posteritati prodamus. Cum Xystus Romanam ecclesiam undecim annis rexisset, Dionysius gætilis illius, qui fuit episcopus Alexandria, episcopatum Romanum obtinuit. Interea Demetriano Antiochiæ vitam deserente, Paulus ex Samosata episcopatus dignitatem assequitur. Et quoniam iste abiectam & humilem nimis de Christo doctrinam ecclesiasticam habebat opinionem, nempe quod solum communi natura erat cum homine præditus, Dionysius Alexandrinus rogatus est, ut veniret ad Synodum: qui quanquam senectutem simul & imbecillitatem corporis causando præsto esse renuit, per epistolam tamen illos quæ habebat de cõtrouersia sententiam, fecit certiores. Cæteri autem ecclesiarum pastores, alius aliunde, contra istum Paulum tanquam pestem & perniciem gregis Christi, itinere cum celeritate confecto, omnes Antiochiæ in unum cõuenerunt. Inter hos maxime præstare videbantur Firmilianus Cæsareæ Cappadocum episcopus, Gregorius, & Athenodorus fratres, pastores ecclesiarum quæ sunt in Ponto: Helenus præterea, qui Tarsi rexit ecclesiã, & Nicomas, qui Iconii ecclesiæ ministerio functus est. Huc accedit Hymenæus ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopus, & Theotecnus, qui Cæsareæ Palestinæ, Hierosolymis finitimæ administrationem obtinuit. Adde his Maximum, qui fratribus Bostræ decore & insigniter præfuit. Ac tametsi alios penè infinitos episcopos una cum presbyteris & diaconis, qui eius rei gratia in urbe supra demonstrata, id temporis coacti erant, vix aut ne vix quidem aliquis poterit enumerare, inter eos tamen hi, quos dixi, facile primas tenuerunt. Omnibus igitur variis temporibus (ut tulit occasio) & sæpe in unum cõuenientibus, in unoquoque congressu orationes habite sunt, & quæstiones positæ, cum à Paulo Samosateno qui peregrinam suam & alienam ab ecclesia doctrinam adhuc

adhuc

EVSEBII HISTORIAE

adhuc occultare, & obtegere moliebatur, tum ab illis, qui eius errorem & in Christum blasphemiam patefacere, & in apertum proferre omni studio elaborabant. Interea temporis Dionysius, cum iam decem & septem annis episcopatum Alexandriae administrasset, duodecimo anno imperii Galieni, moritur. huic successit Maximus.

*Quoniam pasto Paulus, à quodam Malchione presbytero reprehensus, abdicatus sit.*

CAP. XXIII.

**G**Alienus ubi quindecim annos integros gubernasset, Claudius imperator designatus est. Iste biennio percurso, Aureliano tradit imperium: Cuius temporibus, Paulus dux & author erroris, qui Antiochiæ grassabatur, in postremo concilio episcoporum, numero prope infinitorum, contra eum conuocato, sui erroris & peregrinae opinionis perspicue conuictus, & omnium iam consensu palam condemnatus, ab vniuersa & catholica ecclesia, quæ sub cælo est, penitus exturbatus fuit. Ex quibus Malchion in primis, scholæ humanioris literature, quæ erat Antiochiæ magister, vir cum in aliis disciplinis disertus, tum in sapientiæ studio eximius, ac propter singularem fidei in Christum ingenuitatem presbyterii munere in illa ecclesia donatus, eum velut integumentis dissimulationis euoluens, acriter coarguit. Iste enim disputationem contra illum instituens (quam id temporis à scribis celeri manu exceptam, & hucusque reueruatam scimus) hominem animo veteratorio præditum, & fraude plenum solus præ cæteris relegendi vim habuit, & tanquam omnium oculis subiiciendi.

*De episcoporum contra Paulum epistola.*

CAP. XXIII.

**O**Mnes igitur episcopi & Pastores, qui in concilio supra commemorato, erant conuocati, vnam communi consensu epistolam ad Dionysium episcopum Romanum, & ad Maximum Alexandriae ecclesiam procurantem, nominatim conscripserunt: cuius exemplaria  
ad om.

ad omnes prouincias miserunt. In qua quidem epistola & suum studium ac diligentiam in ea re positam omnibus declararunt, & peruersam Pauli hæresim, argumenta in ea refutanda, quæstiones quas ei proponebant, omnem præterea hominis vitam & mores dilucide exposuerunt. Eorum igitur voces ex ea epistola petitas, in præsentia memoriæ & posteritatis causa persequi præclarum fortasse & commodum videbitur.

*Dionysio, Maximo, & omnibus ubique in orbe terrarum collegis, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & vniuersæ ac Catholice sub cælo ecclesiæ, Helenus & Hymeneus, & Theophilus, Theotecnus, & Maximus, Proclus, Nicomus, & Aelianus, Paulus, Bolanus, & Protogenes, Hierax, & Entychius, Theodorus, Malchion, & Lucius, & reliqui omnes Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, qui ciuitates & regiones finitimas apud nos incolunt, & ecclesiæ Dei quæ apud nos sunt, dilectis fratribus in Domino. Salutem.*

Istis paulo post hæc subiungit. Scripsimus epistolas ad episcopos, qui longiore locorum interuallo à nobis distabant, eosque obsecrauimus, vt ad hanc lethalem & perniciosam doctrinam curandam accederent: vtpote ad Dionysium episcopum Alexandriæ, & Firmilianum episcopum Cappadociæ, homines beatos & scelicis commemorationis: quorum alter, Dionysius scilicet, quanquam neque ad erroris ducem separatim scribere, neque omnino eum salutare dignatus est, ad vniuersam tamen ecclesiam Antiochiæ epistolam misit: Cuius exemplar huic nostræ epistolæ subiunximus. Alter autem, nempe Firmilianus bis huc accessit, & ea quæ à Paulo innouata erant & excogitata peruerse, quemadmodum cum nos, qui aderamus, & scimus & testificamur, tum alii complures qui eiusdem rei nobiscum conscii sunt, coram erudite certe refutauit. Vnde cum Paulus sententiam semutaturum fuisset pollicitus, iste fidem illi adhibens, & spem animo concipiens causam controuersiamque sine vlla verborum contumelia commode fore compositam, eam ad tempus distulit, & ita ab illo qui & Deum suum negasset,

negasset,

EUSEBII HISTORIAE

negasset, & dominū, & fidem, quam ante habuerat, minime cōseruasset, dolo deceptus fuit. Firmilianus ergo, ut pote qui iam de impia eius prauitate, qua Christum Deū, pernegauerat, satis fecisset periculi, cū esset rursus Antiochiam peruenturus, & ad Tarsoꝝ vsque perrexisset, interea loci, dum nos conueniremus, dum illum accerseremus, dum eius expectaremꝰ aduentum, extremum vitæ diem obiit. Postea in eadem epistola Pauli vitam, quomodo instituta fuerit, quo pacto morata, his verbis describunt. Quoniam Paulus relicto ecclesiæ Canone, ad adulterinam deprauatamq; doctrinā se transtulit, eius res gestas, cum sit ecclesiæ fines eiectus, nihil attinet disquirere, Neque quod antea indigentia, & mendicitate oppressus, neque quod à parentibus, opum, aut facultatis nihil omnino nactus, neq; quod arte, aut instituto aliquo quicquā adeptus, iam ad maximam diuitiarū affluentiam peruenerit, idq; ex nefariis sceleribus, sacrilegiis, & muneribus, quæ à fratribus iniuria affectis, (quos se adiuturum pollicitus callide ludificatus est) cum flagitatio, tum eorum animos ad aliquid sibi largiendum impellendo, per fraudem extorserat, & ita dum quæstum pietatem ducebat, eorum liberalitate, qui litibus implicati tenebantur, quique quò ab aduersariorum calumniis liberarentur, ad dandum valde erant propēsi, nequiter abusus est. Neq; cōmemorare opus est, quo pacto se insolenter extulerit, & secularium honorū gradus sibi assumpserit, seq; arroganter in iisdem gesserit, & ducenarius potius, quam episcopus nuncupari voluerit, & per forum volutarit, & modo epistolas legendo, modo quid illis respōsi daretur præscribendo, magna satellitum turba, partim eum antecedentium, partim subsequēntium stipatus, superbo gradu palam incesserit: adeo ut propter intolerandum eius fastidium, & nimia animi elationē fides nostra grauem inuidiæ notā, odiumq; permagnū subierit. Neq; necessum est dicendo persequi illius præstigias in conciliis ecclesiasticis vsurpatis, quas falsæ gloriæ umbras consecrando, & varias ineptiarum species aucupando, & imperiticum mentes eo pacto in sui admirationem traducendo, callide excogitauit: neque qua ratione sedem  
& thro-

& thronum sublimem sibi pararit, eumq; non vt Christi  
 discipulum decet, sed vt mundi principes solent, secre-  
 tum & separatim habuerit, nomine suo appellarit, femur  
 in eo sedens manu percusserit, calcibus aliquando ipsum  
 pulsarit, & qui cum eum audirent concionantem, non  
 laudibus extollerent, non, vt in theatris fieri solet, se-  
 agitationibus, quo illi applauderent, in orbem versa-  
 rent, non more gladiatorum, & muliercularum, quoq;  
 apud se habent, inconcinne ei acclamarent, & quasi tri-  
 pudis gestirent, sed vt in domo Dei par est, modeste  
 moderateq; auscultarent, eos grauiter increparit, &  
 verbis contumeliosis exceperit: neq; quo modo in ver-  
 bi Dei interpretes, qui è vita excessissent, dum in homi-  
 nū frequentia palam prædicaret, petulanter & impor-  
 tune debacchatus fuerit, & non tanquam episcopus, sed  
 tanquam sophista & præstigiator de seipso magnifica  
 verba iactarit. Porro quid vobis in memoriam reuo-  
 cemus, quemadmodum psalmos & cantus qui ad domi-  
 ni nostri Iesu Christi honorem decantari solent, tanquã  
 recentiores, & à viris recentioris memoriæ editos ex-  
 ploserit, & in media ecclesia, solenni paschatis die, mu-  
 lieres, quæ inanes cantilenas (quas si quispiam audiret,  
 plane exhorresceret) in ipsius laudem funderent, para-  
 rit? Aut quid vobis exponamus ea blasphemiarum ge-  
 nera, quæ episcopos & presbyteros, qui agro & ciuita-  
 tes finitimas, incolebant, quo illi blandirentur, in con-  
 cionibus suis ad populum habitis, loqui permiserit?  
 Nam voluit (vt aliquid iam ante obiter inseramus, quod  
 post dicetur apertius: neque id nostris verbis solū cõ-  
 firmabitur, sed multis & variis locis commentariorum  
 ipsius, quos ad vos misimus, & maxime, vbi asserit Chri-  
 stum terrenum esse, & humi natum, perspicue ostende-  
 tur) filium Dei è cœlo descendisse: sed qui in istum  
 Paulum impium ipsorum magistrum cantus recitabant,  
 & palã apud populum laudibus efferebant, eum angelum  
 dixerunt, è cœlo demissum. Atque ista fieri non prohi-  
 buit, sed cum in ipsum impudenter dicebantur, insolens  
 & fastidio timidus adfuit. Præterea quid est, cur lite-  
 ris prodamus, ascititias illius mulieres (quas οὐνεὶσσοὺς

EVSEBII HISTORIAE

*Antiocheni mulieres*
 Antiocheni appellant) & mulieres etiam presbytero-  
 rum, & diaconorum suorum, quorum nō hoc peccatum,  
 solum, sed alia propè insanabilia, cum eorundem con-  
 sciis esset, exploretque cognita haberet, callide occul-  
 tavit, quō illi ita ipsi obxerati astrictique, dum sibi ipsis,  
 metuebant male, scelerum, quæ ille vel verbo, vel factis,  
 consciuisset, reum agere non aliquando auderent, quin-  
 etiam ipsos magnopere locupletavit, & propterea apud  
 illos qui talium rerum cupiditate incendebantur, in ma-  
 gna gratia & admiratione fuit. Atque vt hoc pro certo  
 habemus cognitum, fratres in Christo dilecti, non epif-  
 copum modo, sed sacerdotium etiam vniuersum, po-  
 pulo omnium bonorum operum & rectè factorum ex-  
 emplar esse debere: sic illud minime ignoramus, permul-  
 tos ab ista mulierum in suam societatem asciscendarum,  
 ratione, & modo, pietate penitus excidisse: alios autem,  
 venisse in suspicionem flagitii. Quare licet aliquis hoc  
 daret, eum nihil lasciuia: aut petulantia: in illas admi-  
 sisse, suspicio tamen, quæ ex eiusmodi re oriri solet, se-  
 dulo cauenda fuisset, ne fortasse alicui esset offensionis,  
 alios autem ad se imitandum impellere potuisset. Quo  
 pacto enim alium aut reprehendere poterat, aut admo-  
 nere, vti deinceps se à mulieris consuetudine abstine-  
 ret, diligenterque caueret, ne eius illecebris (sicut scri-  
 ptum est) laboretur in turpitudinem, qui vna repudiata,  
 duas ætate florentes, & aspectu perliberales ac venustas,  
 secum habuit? quas si quopiam forte iret, circumduxit  
 vna: idque delicias consecrando, quibus cæcam animi  
 libidinem extra modum explere laboravit. Quibus de  
 causis tametsi omnes intra se grauiter lamentati & con-  
 questi sunt, eius tamen potentiam & quasi tyrannidem  
 ita extimuerunt, vt eum accusare omnino non auderent.  
 Sed ista vitia, vt diximus in homine sensu recto, & fide  
 catholica imbuto, & vnà nobiscum in fidei numero  
 habito, possent corrigi: & ab illo, qui nefario errore  
 Artemonis (quidni enim patrem eius, vnde hæresim suã  
 hausit, vobis significemus) abductus, mysterium fidei ac  
 religionis nostræ prodiderit, nefariisque conuiciis af-  
 fecerit, nō necessum arbitramur illarum rerum rationes  
 repositere:

repositere: Tandem in ipso calce epistolæ hæc addunt. Istum igitur tam deo aduersarium, tamque contumacem eramus coacti ecclesia & congregatione fidelium indice re excludereque, & alium episcopum, qui huic ecclesiæ catholicæ præesset in eius locum substituere: vnde Donnum, diuina certe, vt putamus, prouidentia designauimus: Demetrian hominis felicitis cōmemorationis (quippe qui hanc ecclesiam ante hunc præclare rexisset) filium: omni genere virtutum, quæ episcopum decent, exornatum: Ac vos de eius electione per epistolam, certiores fecimus, vt illi scribatis, & ab eo literas accipiatis communionis. Paulus autem ad Artemonem literas scribat. Et si qui Artemonis partibus faueant, cum eo deinceps communicent. Atque hæc hoc loco sint à nobis collocata. Vbi Paulus igitur simul cum orthodoxa fide episcopatum amisisset, Donnus, vt dictum est, ministerium ecclesiæ apud Antiochiam suscipit. Verum cum Paulus ex episcopi domo, eius ecclesiæ propria, exire nollet, imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissime, quid esset agendum, decreuit. Præcepit enim, vt domus ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ & vrbis Romæ episcopi per literas tribuendam præscriberent. Sic demum Paulus, de quo docuimus, cum summo dedecore secularis imperii ac potestatis auctoritate ab ecclesia penitus extruditur. Quo quidem tempore talem & tam benigne erga nos animatum se Aurelianus declarauit. Verum tempore sui imperii progrediente, aliena opinione & prope contraria de nobis concepta, quibusdam iam consiliis impulsus fuit, vt persecutionem contra nos ciceret. Creber de hac re apud omnes sermo ferebatur. Sed tamen iam iam prope dixerim, Aurelianum, cum literas contra nos compositas, manu subscriberet, diuina ultio subito occupauit. quæ, cum brachiorum commissuris eneruatis, illum ab instituto repressit, tum omnium oculis clare & manifestò spectandum subiecit, quomodo mundi principibus, ne minima quidem data sit facultas aliquid contra Christi ecclesias moliendi, nisi præpotens dei manus diuino suo & celesti iudicio, temporibus quibus ecclesiam probare decreuerit,

*Vide The  
od. fol.  
331. b. vi-  
de eundem  
fol. 339. a*



## EVSEBII HISTORIAE

creuerit, istud disciplinae & castigationis causa, perfici  
& expleri permiserit. Cum Aurelianus sex annos impe-  
rium gubernasset, succedit Probus. Qui cum totidem an-  
nos idem munus obiisset, Carus vna cum filiis Carino  
& Numeriano rempublicam capessit. Rursus, hisce non  
triennio integro imperii administratione perfunctis,  
summa rerum & imperii Diocletiano, & illis, qui post  
eum in regendi societatem cum illo asciti erant, delata  
fuit. Quorum temporibus grauis contra nos incende-  
batur persecutio, & eodem momento, violenta ecclesiarum  
euersio facta est. Quoniam Paulo ante vbi Dionysius Ro-  
mae, ecclesiae ministerium nouem annis procurauerat, e-  
piscopatu potitur Fœlix.

*De Manichæorum heretica prauitate,  
quæ tum primum inceperat.  
CAP. XXXV.*

**E**odem tempore Manes quidam mentis insania exa-  
gitatus, (cuius nomen errori dæmoniaco, qui ab eo  
oriebatur, non inscite respondit) ipso Satana Dei  
aduersario hominem ad multorum perniciem subornan-  
te, syncerum rationis iudicium euertere, & tanquam ar-  
mis oppugnare laborauit: & sicut vita, oratione, & mori-  
bus barbarus, sic natura dæmoniacus, & furiosus fuit: v-  
de his rebus mire conuenientia animo instituens, ipsius  
Christi formam ac personam induere conatus est. Inter-  
dum autem paraclerum, & spiritum sanctum ipse se præ-  
dicauit, & ista rabie fuit ac furore nimium inflatus: Inter-  
dum ad exemplum Christi duodecim discipulos, confor-  
tes suæ nouæ & inauditæ prauitatis delegit. Falsa & im-  
pia dogmata ex infinitis erroribus, qui iam olim extincti  
fuisserent, in vnum conferciens, & de Persarum regione  
in istas orbis partes transferens, tâquam venenum quod-  
dam mortiferum apud nos euomuit. Ex quo fonte im-  
pium Manichæorum nomen ductum est, & apud multos  
adhuc viget.

*De*

*De viris ecclesiasticis, qui ea tempestate celebres  
erant, & quinam ex ipsis vsque ad ecclesiam  
depopulationem superfuerunt.*

## CAP. XXVI.

**T**alis igitur causa exitit commentitiæ illius doctri-  
næ & erroris, qui temporibus supra demonstratis  
in lucem prodit: quibus quidem temporibus cum  
Falix quinquennio Romanam rexisset ecclesiam, Euty-  
chianus eius capessit locum. Iste non decem mensibus  
ad exitum plene perductis, Gaius, qui nostra viguit me-  
moriam, Cleri ministerium reliquit. Cui, cum quindecim  
annos illud munus administrasset, a Marcellino succes-  
sum est. Cuius temporibus persecutio supra demonstra-  
ta (in qua ipse martyrio occubuit) exorta est. Per id tem-  
poris episcopatum Antiochiæ, post Doninum mortuum,  
obtinet Timæus, cui Cyrillus, qui nostra vixit ætate  
successit: cuius temporibus Dorotheum dignitate sacer-  
dotali tum Antiochiæ donatum, virum sane disertum  
cognouimus. Hic in sacris literis exquisite eruditus fuit,  
linguæ Hebraicæ diligentem nauauit operam, adeo ut  
scripturas Hebraicas scienter posset intelligere. Erat  
honestis ac liberalibus parentibus prognatus, humanio-  
ris literaturæ neuiquam expers: eunuchus reuera natus,  
uti illum imperator propter incredibilem eius naturam,  
in suam familiam asceuerit, & præfectura purpuræ tingen-  
dæ, quæ apud Tyrum est, honorifice donauit. Istum nos  
scripturas in ecclesia non in eommode explicantem au-  
diuimus. Cyrillo vita defuncto, Tyrannus ecclesiæ An-  
tiochiæ episcopatum assequitur, quo illo officio fun-  
gête, bellum ad ecclesias expugnandas susceptum vehemèter  
exarsit. Laodicensis ecclesiæ gubernatione, post Socratem  
Eusebius obtinuit, ex urbe Alexadria oriundus. Causa  
autem eius à patria profectiois erat controuersia illa de  
Paulo Samosateno suscepta. Cuius gratia in Syriam pro-  
fectus, ab illis qui ad religionem Christi propagandum om-  
ne suum studium cõferebant, ne domum reuerteretur, pro-  
hibitum fuit: qui quidem (sicuti ex verbis Dionysii  
de eo à nobis supra citatis facile licet cognoscere)

## EUSEBII HISTORIAE

præ cæteris præstantibus nostri temporis viris, tanquam  
 pretiosus quidam pietatis thesaurus extitit. Anatolius  
 genere, etiam Alexandrinus post illum creatur episco-  
 pus, bonus, ut aiunt, boni viri successor. Qui cum ob e-  
 loquentiam, tum ob doctrinam humaniorem, & cogni-  
 tionem philosophiæ, inter homines nostri temporis, qui  
 erant spectatissimi, facile principè locum obtinuit: quip-  
 pe in Arithmetica, Geometria, Astronomia, & differen-  
 di facultate, in contemplatione & perspicentia naturæ  
 in oratorum quoque disciplinis venerat ad summum:  
 quarum rerum gratia fama est, ciues Alexandria, eum il-  
 li ludo, in quo Aristotelis doctrina docebatur, magi-  
 strum præfecisse. Ac tamen in obsidione Alexandria,  
 cum ibi magna esset frumenti inopia, alias præclare ab  
 eo res gestas penè infinitas commemorant, utpote qui  
 singularem dignitatis prærogatiuam præ cæteris magi-  
 stratibus ab omnibus ciuibus adeptus fuisset, tamen ex-  
 empli causa, hanc unam solum hoc loco citabo. Fertur,  
 cum frumentum illis diu obsessis deesset, ita ut farres,  
 quæ in vrbe grassabatur, multo magis intolerabilis, quam  
 hostium impetus, qui iam extrinsecus premebat, existe-  
 ret, hunc, quem dico, cum huic interesset calamitati, tale  
 quoddam remedium illis proinde inuenisse. Cum altera  
 pars ciuitatis cum exercitu Romano societatem belli ge-  
 rendi coiunxisset, & propterea obsidione non vexaretur,  
 Eusebium forte inter eos, qui minime erant obsessi, ver-  
 santem (adhuc enim ibi habitabat, inque Syriam minime  
 demigrauerat) & magnum decus, nomenque celebre  
 etiam à duce Romani exercitus consecutum, de his qui  
 fame, illius obsidionis tempore, interierunt, per inter-  
 nuntium Anatolius certiore facit. Eusebium autè cum  
 hoc intellexeret, à duce maximi beneficii loco postulaf-  
 se, uti illis qui vellent se ab hostibus ex vrbe ad eum sua  
 sponte recipere, vitam ac salutem daret. Quem qui-  
 dem, petitione, ut voluit, impetrata, Anatolio significaf-  
 se. Hunc autem, nuntio ab Eusebio accepto, senatum  
 Alexandrinorum coegisse: ac primum poposuisse ab il-  
 lis, ut cum Romanis amicitiam iungerent. Quo qui-  
 dem sermone, ubi illos grauitè commotos videbat, ci-  
 uis:

xiss:

gisse: at huic, quod iam dicam, vos ne utiquam refragatu-  
 ros arbitror, illis, qui in hac dimicatione videntur mini-  
 me esse necessarii, minimeque vobis vtilis, vt anus, in-  
 fantes, & senes, liberam e portis egrediendi potestatem,  
 quo velint, faciatis, consilium est. Quid enim istos iam  
 iam prope merituros apud nos ipsos continemus? Quid  
 modo mancos, & corporibus mutilatos, peneque exhau-  
 stos, fame opprimimus? viros solos, & iuuenes viribus  
 valentes alere oportet, & frumentum, quod necessarium  
 est, his, qui ad ciuitatis propugnationem accommodati  
 sunt, congerere. Quibus rationibus cum senatum in  
 suam sententiam adduxisset, ipsum primum assurgen-  
 tem, suffragium tulisse, vt omnis multitudo, siue viro-  
 rum, siue mulierum, quæ ad rem militarem parum esset  
 idonea, à ciuitate libere excederet: quoniam si mane-  
 rent, ibique cum magno ciuitatis morarentur incommo-  
 do, nullam salutis spem illis (quippe fame viderentur pe-  
 rituri) esse omnino relictam. Cui sententiæ cum à cæte-  
 ris omnibus, qui aderant in senatu esset assensum, parum  
 aberat, quin omnes, qui obsidione cingebantur, ser-  
 uasset incolumes, atque in primis, vt qui erant Christia-  
 ni, deinde vt alii cuiusque ætatis, qui ciuitatem incol-  
 bant, salui aufugerent, diligenter prouidit: vnde non hi  
 solum, quibus senatus decreto potestas facta erat ex vr-  
 be exeundi, verum etiam sub eorum nomine, alii fere  
 infiniti vestitu muliebri clanculum induti, noctu, illius  
 prouisione, e portis egressi sunt, & ad Romanorum ex-  
 ercitus confugerunt: vbi illos omnes Eusebius beni-  
 gne excipiens, more patris, aut medici, longa obsidione  
 debilitatos, omni prouidentia, & curatione in integrum  
 restituit. Duobus eiusmodi pastoribus ecclesia Laodi-  
 censis (quorum alter alteri deinceps ordine proxime suc-  
 cessit) diuina prouidentia potita est: qui post bellum à  
 nobis iam demonstratum ab vrbe Alexandrina eo de-  
 migrarunt. Quanquam vero non multi libri ab Anato-  
 lio erant elaborati, totidem tamen ad nos peruenerunt,  
 vnde cum eius eloquentiam, tum multiplicem cogitatio-  
 nem licet animaduertere: idque in illis potissimum, in qui-  
 bus ea, quæ de Paschate ab aliis ante decreta fuissent,

EVSEBII HISTORIAE

explanavit. Ex quibus libris necessarium putavi, ista verba è Canonibus de Paschate ab Anatolio in eisdem libris conscriptis petita recensere. In primo anno, hoc festum novilunium primi mensis occupat, quod est circuli, decem & nouè annorum principium. Quod secundum Aegyptios est vigesimo sexto die mensis Phamenoth, secundum Macedonum menses, vigesimo secundo Dystri, sed vt Romani numerant ad vndecimum Calendas Aprilis. In vigesimo sexto die Phamenoth, qui supra positus est, sol reperitur non modo primam signorum, intrasse sectionem, sed iam quartum diem in ea peragrasse. Istam sectionem, primam duodecimam partem, æquinoctium, mensium principium, caput circuli, planetarum cursus, reciprocationem appellare solent. Ea autem sectio, quæ istam proximè antegreditur, mensium extremas, sectio duodecima, pars duodecima vltima, finis ambitus & conuersionis planetarum dicitur. Quapropter, qui principium primi mensis in illo vigesimo sexto die Phamenoth esse putant, ad decimum quartum diem proximè secundum illum, festum Paschatis celebrandum statuant, eos vehementer errare dicimus. Neq; est hæc nostra sententia, sed ab antiquis Iudeis ante Christum, cum sic decretum fuit, tum ab illis in primis obseruatum. Quod ex Philonis, Iosephi, Musæique verbis licet cognoscere. Neq; ex his solum, sed ab aliis qui illis sunt vetustiores, nimirum duobus cognomèto Agathobulis, præceptoribus illius eximii Aristobuli: Iste ex septuaginta interpretum numero, qui sacras & diuinas scripturas, Ptolomæi Philadelphi, & eius patris rogatu ex sermone Hebraico in Græcum conuerterunt, vnus fuit: qui etiam commentarios in legem Moysis conscriptos, iisdem regibus dedit. Isti scriptores dum quæstiones Exodi dissolunt, aiunt omnes ex æquo Pascha siue *ἡ Πάσχα* id est festum transitus, verum æquinoctium, medio primo mense, celebrare oportere: hocque tempus esse primam sectionem, cursus solis, siue cum sol penitus obierit signiferum, vt quidam illorum nominat, orbem. Addit eodem Aristobulus, quod in festo Paschatis non modo sol, sed luna etiã necessario debet esse in transitu sectionis æquinoctialis.

Et cum

Et cum duæ sint æquinoctiales sectiones, verna altera, altera autumnalis (quæ ex diametro altera alteri, opponuntur) cumque decimus quartus dies mensis ad vesperam, Festo transitus assignatus sit, luna semper soli ex aduerso consistet, sicut etiam in omnibus pleniluniis cere licet sectione, igitur æquinoctii verni sol: luna aut sectionem æquinoctii autumnalis occupabit necessario. Alia præterea non pauca ab illis memorata, partim probabilia, partim ratis & firmis demonstrationibus conclusa, noui: quibus Pascha & festum Azymorum omnino post æquinoctium agendum ostendere conantur. Verum eiusmodi demonstrationum momenta, quæ ab illis peti possunt, missa facio: à quibus legis Mosaicæ velamen adeo penitus ablatum est. ut iam de cætero aperta facie, ut ita dicam, Christum Christi que doctrinam & passiones perpetuo contemplantur. Sunt etiam quædam velut regulæ ac præceptiones in libro, qui inscribitur Enoch, quæ declarant primum mensem apud Hebræos circiter æquinoctium esse. Anatolius porro institutiones in Arithmetica decem libris explicatas reliquit. Alia item extant eius opera, quæ exempla otii præclare in sacris literis ab eo collocati, & multæ in eisdem exercitationis perspicua argumenta dant. Hunc Theotecnus Cæsareæ Palæstinarum episcopus, per manus impositionem primus episcopum ordinavit: qui eum successoré sibi post mortem ad ecclesiæ suæ procuracionem deligendum prouidit, vnaque cum illo ad aliquod temporis spatium ecclesiæ Cæsariensi præfuit. Verum Anatolius, cum concilium Antiochiæ de Paulo Samosateno convocatum, eum accerferet, ad Laodicensium urbem aduentans, ibi Eusebio mortuo comorari à fratribus coactus est. Anatolio exiit à vita, postremus ante persecutionem illi ecclesiæ præfuit Stephanus: qui quanquam cum propter philosophiæ cognitionem, tum propter reliquam liberalem eruditionem apud multos in magna admiratione fuit, tamen propter animum eius, quo erat erga sacram fidem haud satis sincere affectus, non tantum laudis meruit: sicut tempore persecutionis progrediente, quod illum simulatorem, timidum, & ignauium potius quam verum Philosophum declarabat, perspicue

*Vide Pfe  
re. in ca  
ta. Eccle.  
Script.*

## EVSEBII HISTORIAE

patefactum fuit. Et quamuis eius inconstantia ac leuitate, ecclesiae illius status videretur ruina collapsurus, fuit tamen Dei omnium seruatoris clementia sustentatus: idque quia confestim Theodotus vir sanè & reipse, & proprio nomine (Theodotus à Deo datus dicitur) illius ecclesiae episcopus designatus, se vere episcopum demonstrauit. Nam vt in medicina, quae ad corporum curationem pertinet, sic in animorum morbis sanandis primas ferè tulit: humanitatis autem, morum probitatis, clementiae, commiserationis, & studii causa, quod in eos ostendit, qui opem ab eo poscebant, facile omnes superauit. In Sacris deniq; disciplinis multus erat ei usus, & crebra exercitatio. Sed de eo satis, vbi Theotecnus episcopatum Caesareae Palaestinae diligentissime fuisset executus, mortemque oppetiisset, illud ministerium Agapio tributum fuit. Quem maximum laborem in eo obeundo collocasse & accuratissimam suscepisse provisionem in populo gubernando, & maxime omnium quasi plena manu eos, qui in egestate versabantur, subleuasse cognouimus. Cuius temporibus Pamphilum virum disertissimum, & ipsa vitae ratione verum philosophum, in ea ecclesia presbyterii dignitate donatum accepimus. Qui quidem qualisnam fuerit, & vnde ortus, non breui videtur explicatione posse aperiri. Singula igitur quae ad eius vitam attinent, qua ratione institutus, cuius generis certamina pro variis fidei confessionibus, dum sauebat persecutio, pertulerit, & quali tandem corona martyrii redimitus sit, separato quodam libello de eo disseruimus. Iste autem praeter ceteros, qui ibi versabantur, maximam omnium de se excitauit admirationem. Inter homines etiam nostrae aetatis rarissimos quidem, & singularis cuiusdam virtutis, ex presbyteris Alexandrinis Pierium, ex praesidibus autem ecclesiarum Ponti Meletium episcopum cognouimus. Ac Pierius cum ob inopem admodum & egentem vitae rationem, qua sua sponte susceperat, tum ob philosophorum disciplinas, quibus erat imbutus, satis spectatus & illustris fuit: in literarum quoque diuinarum, cum cognitione, tum explicatione, in disceptationibus praeterea concionibusq;

nibusque publice in ecclesia faciendis supra modum excitatus. Meletius autem, quem homines eruditi  $\mu\epsilon\lambda\epsilon\tau\eta\varsigma$   $\alpha\tau\tau\iota\kappa\eta\varsigma$  id est mel Articum ex nominis sui notatione nuncupabant, talis certè fuit, qualem propter summam in omnibus rebus notitiam & cognitionem, merito perfectissimum dixeris. Ac propter singularem eius dicèdè vim & virtutem, nemo illum satis abunde admirari ac suspicere poterit. At hoc fortasse illi natura quodammodo insitum aliquis dixerit: verum eius in multiplici aliarum rerum experientia, in varia cuiusq; generis doctrina facultatem, quis valet aliquando superare? Quod autem in omnibus scientiis, quæ ad acumen rationis, & disserendi subtilitatem spectant, cum artificiose expositus, tum diserte eloquens fuerit, si quis vel semel de eo fecerit periculum, facile credo, concesserit. Virtutes porro, quæ magno cum splendore in eius vita elucebāt, non illis rebus erant vlla ex parte inferiores. Iste persecutionis tempore in fines Palestinæ confugit: vbi eum ad septem annos integros, plene cognouimus. Hierosolymorum ecclesiæ ministerium post Hymenæum episcopum, quem paulo ante demonstrauius, Zambdas cepessit. Paulo post, isto mortuo, Hermon postremus eorum, qui ante persecutionem, nostra memoria, ibi cōcitatum, fuerunt episcopi, in sede illa apostolica ad hoc vsque tempus reseruata collocatus fuit. Postquā Maximus decem & octo annos episcopatu Alexandriæ post mortem Dionysii fuerat perfunctus, Theonas eius potitur loco. Quo tempore Alexandriæ Achilles presbyterio, vnà cum Pierio donatus, cœpit hominum fama celebrari: qui scholæ sacratæ Christi fidei instituendæ præfectus, in singulari ac plane rarissimo pietatis munere exequendo nemini secundus fuit, & vitæ institutionisq; euangelicæ modum atque rationem ingenue excoluit. Post Theonam cum decem & nouem annis ecclesiā administrasset, in episcopatum Alexandriæ succedit Petrus. Hic duodecim annis continuis in eo officio fungendo cum summa dignitate inter primos floruit. Qui eum triennium prope ante persecutionis tempus, in ecclesia



## EVSEBII HISTORIAE

clesia illa gubernanda contriuisset, de reliquo vitam du-  
xioris exercitatione & magis seuera traduxit, & vti om-  
nibus constabat, ecclesiarum vtilitati omni cura ac stu-  
dio prospexit. Ac propterea nono persecutionis anno,  
capite amputato, erat à Deo insigni martyrii corona do-  
natus. Quoniam quidem seriem & rationem successio-  
nis apostolorum & episcoporum ab ortu seruatoris no-  
stri vsque ad euersionem & vastitatem ecclesiarum de-  
ductam, eamque iam ad trecentos & quinque annos  
continuatam hactenus explanauimus, sequitur, vt de in-  
seps certamina eorum, qui viriliter & excelso ani-  
mo pro pietate hoc nostro tempore dimica-  
runt, quàm multa, quàmque graua  
& acerba fuerint, ad posterita-  
tis memoriam scriptis  
prodamus.

*Septimi libri finis.*